IO. AN. FLAMINII FOROCORNELIENSIS DE ORIGINE PHILOSOPHIAE AC PHILOSOPHORUM…

Giovanni Antonio Flaminio

Digitized by Google

3

IO. AN. FLAMINII FOROCORNELIENSIS DE ORIGINE PHILOSOPHIAE AC PHILOSOPHORVM SECTIS OPVSCVLVM.

Digitized by Google

GASPAR ELEPHANTVTIVS IO. AN. FLA MINIO S. D.

ſErmo inter nos proximis diebus ortus eſt doctiſs. Flamini de literis, ac literatis hoibus admodũ iucũdus, in quo præcipua de priſcis philoſophis tibi mẽtio, habita eſt. Cumq; multa de moribus illoꝝ ac uita dixiſſes, quæ me mirifice delectarũt, & illorũ ſentẽtias quaſdã auditu, & cognitu pulcherrimas, quæ ad pręſentẽ ſermonẽ faciebãt, protuliſſes, cepit me incredibile deſideriũ noſcendi, quãdo primum, & quibus ex locis, & a quibus uiris certe diuinis, & omni admiratione digniſſimis ortũ philoſophia duxiſſet, & quomodo, & quibus authoribus factum eſſet, ut tanta inter eos excitata eſſet opinionũ, ac ſentẽtiaꝝ uarietas, ut procedente tempore in multas quaſi familias philoſophi diſtribuerent. Intererat ſermoni familiaris noſter Leãder Albertus ad unguẽ factus homo, qui ut eſt uir in illuſtri prædicatorũ ordine ut uita, & moribus, ita ſcientiarum uarietate ornatiſſimus multa dixit, quæ deſiderium illud meũ accẽderẽt, potius ꝙ lenirent. Ibi tu, uideo, inquis, mi Gaſpar, quorſum tuus iſte ſermo tẽdat, & quid cupias. Quare faciã paucis, diebus, ut intelligas, quantopere ſtuduerim, hac etiã in re, ſicut in cæteris, tibi morẽ gerere. Scribã igitur de origine philoſophiæ, deq; philoſophoꝝ ſectis libellum, in quo ea, quæ tantopere ſcire optas, a me ita explicabunt, ut in ea materia nihil tibi ultra quærendũ arbitrere. Hoc tu mihi pollicitus es Flamini, & perſolutuꝝ te nõ dubito. Attamen, quia deſiderii talis magnitudo uix moram patiebatur, uolui breuem hanc epiſtolã ad te mittere, ex qua iterum cognoſceres, nihil te mihi gratius, ac iucundius impræſentia facere poſſe, ꝙ ſi præclarũ illud opuſculum ꝙprimũ aggrederere, & ꝙcitiſſime fieri poſſet, ad me mitteres. Quod ut facias, te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale. Idibus Decembris. M D X X I I I.

IO. AN. FLAMINII FOROCORNELIENSIS DE ORIGINE PHILOSOPHIAE ET PHILOSOPHO RVM SECTIS LIBELLVS AD PRAECLARVM VIRVM GASPAREM ELEPHANTVTIVM BO NONIENSEM PATRITIVM.

AGNA EST CERTE GASPAR ELEPHAN
m tutie uis amoris erga te mei. Deſiderium uero pla-
cendi, ac, in rebus omnibus tibi ſatiſfaciendi tam
ardẽs, ut, quanuis mearũ ipſe uiriũ mihi ſim cõſcius
&, quid præſtari a me queat, ſatis intelligam, poſſe me ta-
men putem, quicquid tu poſſe me arbitraris, & illud conti
nuo aggredi non dubitem. Sæpe id quidem expertus ſum
antea, ſed nunq̃ euidẽtius, quam proxima de philoſophis,
& eorum ſectis petitione tua, quæ ſane prima fronte uide-
ri quibuſdam parua res poſſit. Sed altius intuentibus tan-
ti eſſe negocii conſtat, ut non ſine maximo labore, ac longa
ueſtigatione queat explicari. Experiar tamen, quid multa
lectio, quid diligens obſeruatio, & uehemens in te ſtudium
meum poſſit. Speroq; futurum, ut operam meã in te uber-
rima, & cognitionis eximiæ non fuiſſe neglıgẽtem putes,
& multo quidem plura, q̃ petieris, & opinatus fueris acce-
piſſe te poſtmodum fateare. Vale.

Agnum fuit mi Gaſpar antiquis illis hominibus ſa-
m pientiæ ſtudium, & ueri ueſtigandi labor, atq; ſoler-
tia. Quod dum facere totis uiribus adnitũtur, uariis
inter ſe opinionum concertationibus rem multo difficilio-
rem cognitu effecerunt. Siquidem in ipſa ueri diſquiſitio-
ne, dum inter ſe diſſident, & quaſi digladiant, diuerſas hu-
manis pectoribus nebulas offuderũt, & in alta caligine ue-
rum occultatũt. Neq; enim fieri aliter potuit, dum alii prin
cipia rerum nulla, alii diuerſa oſtẽdere conati ſunt. Alii for-
tunæ omnia cõmiſere. Dumq; nõ nulli deos negant, qua-
lis fuit Diagoras, qui ob id athei cognominati ſunt. Qui-
dam diuina regi prouidentia mundum arbitrantur, & aſſe
runt. Dumq; hi uirtutem, illi uoluptatẽ ſummum eſſe bo-

num contendunt. Hinc uariæ traxerunt originẽ, & cognomenta, de quibus poſtmodum mihi ſermo habendus eſt, philoſophorum familiæ. Quas priuſq̃ recenſere incipiam, priſcos diuerſarum gentium ſapienteis perquirẽdos mihi & in unum quaſi locum reducendos exiſtimaui. Quæ res quantæ fuerit difficultatis, ſed & quãtum ſecum fructum, & q̃ iucundam rerum multarum cognitionem afferat facile, cũ legeris iudicare poteris. Ex qua lectione eſſe te tantam uoluptatem capturum non ambigo, ut dicere audeã, Nihil te iandiu legiſſe, de quo maiorem capere potueris. Apud Perſas philoſophiam, hoc eſt ſapientiæ ſtudium primum claruiſſe tradunt, apud quos ſapiẽtes magi dicebantur, de quibus ita Laertius ſcribit'. Magi apud perſas deorum cultui maxime inſiſtunt. preces illis, & uota, & ſacrificia offerunt. Signa, ſtatuaſq; reprehendunt. Mares, ac fœminas in diis eſſe negãt. Sorori licere miſceri, ac matri aiũt. Plenum eſſe dæmonum aera. Cultum, & uſum auri interdicunt. Veſtem habent candidam, lectum uero humum. Eſcam olus, caſeum, panem. Arundine pro baculo utunt. Homines reuicturos aſſerunt. Hos autem diuinationis eſſe gnaros Ariſtoteles in libro de Magia refert. Zoroaſtrẽ perſam magorum fuiſſe principem memoriæ proditum eſt, a quo ad excidium Troiæ Hermodorus Platonicus quinq; annorũ millia, ut author eſt Laertius, computat, & quẽ ſex millibus annorum ante Platonis mortẽ fuiſſe Plinius ſcribit Eudoxi uſus teſtimonio. Sed falſiſſimum hoc eſſe, præter, q̃ quod abunde chriſtianorum ſacra teſtatur hiſtoria, ex diligenti ſupputatione, quam ex uetuſtiſſimis gentiliũ authoribus Archilocho ſcilicet de temporibus, Xenophonte de æquiuocis, Beroſo, atq; Maſea collegimus, manifeſte deprehenditur. Siquidem a magno diluuio ad Alexandrũ Macedonem Philippi filium, qui ætate Platonis, & Ariſtotelis natus eſt, anni mille nongenti, ac ſeptuaginta computantur, ut abſurdiſſimum ſit dicere, a Zoroaſtre ad Platonẽ tot annorũ millia fluxiſſe, cum præſertim Xanthus quoq; Lydius Laertio teſte a Zoroaſtre ad Xerxis trãſitum annos tantummodo ſexcentos numeret. Sed unus fuerit zoroa-

ſtres

Digitized by Google

ſtres, an & alter, Plinius ſibi non ſatis conſtare oſtẽdit. Sed illi initia, & principatum in magis tribuunt. Dion ex illius interpretatione nominis aſtrologũ fuiſſe putat, duoq; principia eſſe uoluiſſe, bonũ ſcilicet ac malum dæmonẽ. Alterũ Iouem, Plutonem alterum uocant. Magos ægyptiis antiquiores libro de philoſophia primo dixit Ariſtoteles. Ab iis traxiſſe originẽ gymnoſophiſtas Clearchus Solenſis aſſeruit. Zoroaſtri ſucceſſere alii complures magi fama celebri, quorũ e numero fuere Hoſtanes. Aſtropſychos. Gobrias, & Pazaras, ut idẽ Laertius refert, donec ab Alexãdro euerſum eſt Perſarum imperiũ. Poſt Perſas celebrati fuere Babylonii, Aſſyrii, & Chaldæi, & apud Indos gymnoſophiſtę qui a Perſis magis habuiſſe originem creduntur, a quibus, ut idem Clearchus ſentit, ad ægyptios philoſophia manauit, cuius antiſtites apud eos, & ſacerdotes, & prophetæ nũcupabant. Nã teſte Ariſtotele libro de philoſophia primo ægyptiis antiquiores ſunt magi. Sequũtur poſt hos, ac celebrant Gallorũ ſapientes, qui Dryidæ ſunt appellati, quibus a quercubus idest a ſyluis, in quibus habitabãt, nomẽ eſt inditum. in quibus quercus arbor Ioui quondam ſacra principatũ obtinet, qd inde mortalibus olim fuerit cibus, quæ græce δρῦσ appellat. Ad quos Lucanus libro. i. ſic loquitur.

Et uos barbaricos ritus, moremq; ſiniſtrum
Sacrorum dryidæ poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe deos, & cœli numine uobis,
Aut ſolis neſcire datur. nemora alta remotis
Incolitis lucis. Et pythagoricos eſſe indicat, cum ait
Vobis authoribus umbræ
Non tacitas erebi ſedes, ditiſq; profundi
Pallida regna petunt. regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longę canitis ſi cognita uitæ. Item.
Maximus haud urget lethi metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona uiris. animæq; capaces
Mortis, & ignauũ rediture parcere uitæ.

Hos aũt, ut Origenes tradit Zamolxis thracius docuit Pythagoræ ſeruus, qui cũ Lyſide pythagoreo ſupfuit icẽdio, qui ſe ad laconas cõtulit, & thebanũ ẽt Epaminũdã iſtituit. quãuis Cęſar lib.

Digitized by Google

ſexto cõmentariorũ belli gallici Dryidarũ diſciplinã ex Bri
tania profectam dicat. Sed ea, quæ de Lucano rettulimus
Pythagoreos fuiſſe oſtendunt. Horum Plinius circa finẽ li
bri. xvi. naturalis hiſtoriæ meminit inquiens. Nihil habẽt
Dryidæ, ita enim Galli ſuos appellant magos. Hos tã Ari-
ſtoteles in libro de magia, q̃ Sotion in libro ſucceſſionum
affirmant diuini, humaniq; iuris peritiſſimos. Sed, ut Tran
quillus ſcribit, Dryidarum religionẽ Auguſtus interdixit.
Claudius autem penitus deleuit. Quod ad ægyptios atti-
net, Vulcanum, ægyptii aiunt, Nili filiũ philoſophiæ prin-
cipia ægyptiis aperuiſſe, a quo uſq; ad Alexandrum Mace
donem Philippi filium annos fluxiſſe octo millia octingen
tos ſexaginta tres, author eſt Laertius. Sed chriſtianorũ ſa-
cta, quemadmodum paulo ante oſtendi, nec nõ & gẽtiliũ
quorũdã repugnat hiſtoria. Aliarũ quoq; gẽtiũ illuſtres ce-
lebrantur ſapientes. Inſignem habent Ochum phœnices.
Zamolxin, & Orpheum Thraces. Aphri Atlantem, quem
ob eximiã aſtrologiæ peritiã ſuſtinere humeris cœlũ poe-
tæ fabulant. Muſęo gloriant Athenæ Eumolpi filio, quem
primum aſſerunt deorum generationẽ tradidiſſe, ſphæramq;
inueniſſe, & ex uno fieri, atq; in id ipſum reſolui oĩa dixiſſe.
Hunc Orpheus in argonautica celebrat, quẽ etiã eodẽ flo-
ruiſſe tẽpore oſtẽdit. & ex antiquiſſimis poeta fuit inſignis,
qui inter alia carmen ẽt de amoribus Leãdri, & Herus pul-
cherrimũ ſcripſit. Lino Thebæ ſunt illuſtres, quem Mercu
rio, & Vrania genitũ muſa perhibẽt mũdi, & animaliũ, ac
fructuum generationes: itẽ ſolis: ac lunæ curſum ſcripſiſſe:
quem ſecutus eſt Anaxagoras, qui & ipſe facta eſſe omnia
aſſeruit. His duobus philoſophiæ principia tribuunt, qui à
barbaris illa manaſſe negant. Poſt hos Homerus, & Heſio-
dus memorantur, Nam & poetas innumerum ſapientum
admiſerunt. Secuti ſunt longo temporis interuallo ſeptem
Græciæ ſapientes, quorum & nomina, & quædã memo-
ratu digna breuiter ſubieci, quæ tibi, & Alphonſo filio gra-
ta, & non inutilia fore arbitratus ſum. Nomina quidẽ hæc
ſunt. Thales. Solon. Periander. Cleobolus. Chilon. Bias. Pit
tacus. Thales, ut Herodotus, ac Duris, & Democritus teſte

Laertio

Digitized by Google

Laertio affirmãt, patre Examyo, matre Cleobulina natus
eſt ex Thelidarum familia, qui phœnicum nobiliſſimi ab
Agenore: Cadmoqꝫ originem ducunt. Idem quoqꝫ aſſerit
Plato. Primus hic ſapiens dictus eſt. Floruit: quo tempore
princeps Athenis Damaſius fuit, quo tempore etiam reli-
qui: de quibus nunc nobis ſermo eſt: ſapiẽtes appellati: ſi-
cut Demetrius Phalereus in deſcriptione principũ docet.
Mileti ciuem inſcriptum referũt quidam. Alii indigenam
mileſium aiunt, unde & Mileſius cognominatus eſt. Pri-
mus hic, ut author eſt Cicero, de rerum natura diſputauit,
& naturalis philoſophiæ pręcepta primus tradidit. Nã poſt
Reipublicæ negocia ad contemplanda naturæ arcana ſe
conferebat. Inuẽtorem præterea fuiſſe minoris Vrſæ aiũt,
ad cuius obſeruationem phœnices nauigant, ac illius ſtel-
las adnotaſſe, Callimachus author eſt. Nec non primum
aſtrologiæ arcana rimatum: & ſolis defectus prædixiſſe tũ
alii affirmãt, tum Heraclitus, ac Democritus teſtantur. Idẽ
cum olei futuram inopiã præuidiſſet, ditari poſſe, ſi uellet:
philoſophum oſtẽdit. Obiit in certaminis gymnici ſpecta-
culo æſtu, ac ſiti fatigatus: utpote iam ſenio confectus anno
ætatis. LXXVIII. ſiue: uti Soſicrates ait, nonageſimo. Cu-
ius hæ feruntur ſententiæ. Antiquiſſimũ eorum, quæ ſunt
omniũ, Deus, ingenitũ enim. Pulcherrimũ mundus, a deo
enim factus eſt. Velociſſimũ mens, nã per uniuerſa diſcur-
rit. Fortiſſimum neceſſitas: cuncta enim ſuperat. Sapiẽtiſſi-
mum tempus, inuenit nanqꝫ omnia. Nihil ait mortem a ui
ta differre. Cum uero dixiſſet quiſpiam, Qare tu non mo-
reris? Quia nihil inqt differt. Interrogatus, laterẽt ne deos
male facta hominum. At ne cogitata quidem. Quidnam
eſſet difficillimũ: ſe ipſum noſſe. Quid deus eſſet: quod ini-
tio, & fine caret. Quid difficile uidiſſet, tyrannum ſenem.
Quomodo optime, ac iuſtiſſime uiuemus, ſi, quæ ĩ aliis re
prehendimus, ipſi non faciamus. Quæcunqꝫ inquit ſtipen
dia parentibus intuleris, eadem ipſe a filiis expecta. Sed
nimis longũ foret, omneis illius ſentẽtias recenſere. Solon
Execeſtidę filius patria Salaminius Athenis claruit regnã-
te Romæ Tarquinio Priſco: Cuius regni anno. XXXIII.

leges Athenienſibus ſcripſit, author libro noctium Atticarum.xvii.Gellius.De quo Platonis hæc ſunt uerba in Timęo. Memini Critiam doctiſſimũ omnium doctrinarum dixiſſe plane Solonem uideri non ſolum prudentia cæteris laude dignis, ſed etiam carminibus præſtitiſſe, & ſi ſermonem, quem ab Aegypto reuerſus inſtituerat, impleſſet, a quo quidem ſeditionibus, cæteraq; intemperie ciuilis diſſenſionis impediẽte deſciuit, opinor, non minorẽ Heſiodo, uel Homero futurum fuiſſe. Leges autem, ut author eſt in ſecundo Politicorum Ariſtoteles: & Iuſtinus affirmat, tanto tulit temperamento, ut patrem ſenatus, & plebis gratiam ſit adeptus, cum prius inter ſe plurimum diſſiderẽt. Quibus ſi perpetuo, ut Valerius Maximus ait, Athenienſes uti uoluiſſent, perpetuum habuiſſent imperiũ. Hic oraculi etiam Apollinis teſtimonio ſapientiſſimus omniũ habitus eſt. Floruit teſte Laertio circa ſextam & quadrageſimam olympiadẽ, cuius tertio anno, ut Soſicrates ait, princeps Athenienſium fuit, quo etiam tempore leges eis dedit. Obiit in Cypro anno ætatis ſuæ octogeſimo. Eius aliquot præclara monita, quibus conſulere hominibus ſolebat, Subiungam. quæ Apollodorus in libro de Philoſophorum ſectis collecta recenſuit. Hæc autem ſunt. Virtutẽ, ac probitatem iuramẽto fideliorem cenſe. Mentiri noli. Præclara ſtudioſe meditare. Amicos ne tibi cito cõcilies. Quos autem conciliaueris, ne reprobes caue. Tũc rege, cũ prius didiceris regi. Conſule non quæ ſunt ſuauiſſima, ſed quæ ſunt optima. Animũ, ac rationẽ ducẽ ſequere. Noli malis congredi. Deos honora. Parentes reuerere. Fertur Mimnermum increpaſſe, quod ſcripſiſſet ſeptuageſimum annũ fatalẽ eſſe, ac monuiſſe, ut octogeſimũ ſcriberet. Quæ autẽ ipſe ſcripſerit, apud Laertium inuenies. Periander Corynthius fuit, patre, cui nomen Cypſelo genitus ex Heraclidarum genere. Vxorem habuit Lyſidem, quã ipſe Meliſſam appellabat, quam prægnantẽ calce interemit, cũ iam duos ex ea filios ſuſcepiſſet, Cypſelum uidelicet, ac Lycophrona, quem matri ploratu iuſta perſoluentẽ in Corcyram abdicauit inſulam. Aetate deinde ingraueſcente reuerti ad ſe iu

bebat

Digitized by Google

bebat, ut ei tyrannidem per manus traderet. Sed cognito illius conſilio iuuenẽ Corcyrenſes occiderunt. Pater demũ mœrore confectus obiit annos ferme octoginta natus. Ex illius grauibus ſentẽtiis aliquot ſubſcripſimus. Aiebat Periander, Nihil pecuniarum gratia agendũ. Iis, qui regnare uellent, dandã enixe operã, ut ſe beneuolẽtia, non armis ſti parent. Tyrannide præſtantiorẽ eſſe popularẽ adminiſtrationẽ. Voluptates corruptibiles. honores immortaleis. Aiebat etiã, Amicis felicibus, & infelicibus eundem te præſta. In ſecũdis rebus moderatus eſto. In aduerſis prudens. Interloquendũ caue, ne arcana detegas. Nõ peccantes modo, ſed etiã peccare geſtiẽtes puni. Primus hic armatis circũſeptus inceſſit, magiſtratumq; ad tyrãnidẽ trãſtulit, quã annos quadraginta exercuit. Hũc Ariſtoteles unum de ſapientibus ſeptẽ dicit. Plato negat, qui duos fuiſſe Periãdros ait, tyrannũ alterũ, alterũ philoſophũ. Cleobolus Euagoræ filius, cuius genus ad Herculem referũt, Lindius fuit. Hic ſe in Aegyptũ cõtulit, ut Aegyptiorũ celebratam philoſophiã diſceret. Obiit ſenex annorũ. LXX. Eius ſentẽtiæ ſunt. Imperitiam in hominibus pleriſq; dominari, ac uerborũ multitudinẽ. Filias nuptui locari oportere ætate uirgines, prudentia mulieres. Amicos beneficiis fouẽdos, ut amiciores fiant. Inimici autem, ut amici fiant, procurãdũ. Ante q̃ domo quis exeat, debere illum, quid acturus ſit, ſecum pertractare, rurſus, cum redierit, recogitare, quid egerit. Audiẽdi magis, q̃ loquendi ſtudioſum eſſe oportere. Vxorẽ ſibi parem eligendã. Nam ſi clariorẽ te duxeris, futurũ aiebat, ut eius affines dominos haberes. Secũda fortuna nõ ſuperbiẽdum. Aduerſa non fugiẽdũ. Chilo Lacedæmonius patrem habuit Demagetum. Hic elegiã ducẽtorũ ferme uerſuum ſcripſit. Futurorũ prudentiam pro uirtute uiri poſſe ratione comprehẽdi aiebat. Primus inſtituit, ut regi Ephori adiungerent, qualiter Romæ tribuni plebis conſulibus, oppoſiti. Hic interrogatus, quomodo periti ab imperitis differrẽt, Bona ſpe, inq̃t. Quid eſſet difficile, Arcana reticere, & ociũ recte diſponere, ac iniurias tolerare. Obiit Piſæ, quæ eſt Arcadiæ urbs complexus, & exoſculatus filiũ, quod in olym-

Digitized by Google

alios ſupuixit. Itaq̃ annú tráſgreſſus. LXX. primæ, & quin-
quageſimæ olympiadis anno tertio dié ſuú obiit. Interro-
gatus aliquádo Pittacus, Quid eſſet gratiſſimú, Tempus,
inquit. Quid obſcurú, futurorú euétus, Quid fidele, terra.
Quid cõtra infidú, Mare. Dicebat itē prudētiú uirorú eſſe,
prius q̃ aduerſa contingát, prouidere, ne accidát. Fortium
uero, ubi illa cõtigerint, æquo animo ferre. Amico nõ ma-
ledicēdú, ne inimico quidē. Cuidá phocaico dicenti, quæ-
rendú eſſe ſtudioſum uirum, & frugi. Etiá ſi ualde quæſie-
ris, inquit, nõ inuenies. Sapiētes ſeptem Cyri Perſarum regis
tēporibus floruiſſe Chronographus ſcribit Euſebius. Fue-
re & alii complures illuſtri fama philoſophi, ut Anacharſis
Scytha admirádæ uir, ut Cicero in tuſculanis quæſtioni-
bus ait, Sapiētiæ, quē etiá Herodotus ſapiētiſſimú fuiſſe te-
ſtatur. Cú neminē de Scytarú genere aliú ſe audiſſe ſapien
tē fuiſſe affirmet. Qui cú ex eo quæreret, quomodo quis
Abſtenius fieri poſſet, Si ebrioſorú, inquit, motus ſibi ante
oculos proponat. Interrogatus etiá, quid i hoīe eſſet bonú,
ac malú, reſpondit, lingua, ea enim bene, ac male utimur.
Præterea uitē uuas treis ferre, primá uoluptatis. Secúdam
ebrietatis, tertiá mœroris. Mirari ſe dixit, quomodo apud
græcos artifices inter ſe certarēt, iudicarentq̃, qui opifices
nõ eſſent. Exprobrāti ſibi attico homini, quod Scytha eēt,
ait. Mihi quidē probro eſt patria, at patriæ tu. Hic Caduidi
Scytharú regis frater fuit, quáuis matrē habuerit græcam.
Reuerſus in patriá, cú mutare ibi leges uellet, & græcas in-
ducere a fratre in uenatione occiſus eſt dicēs, Sermonis, &
diſciplinæ gratia ſe ex græcia ſeruatú, per inuidiá in patria,
& ꝓpria domo perire. Húc quidá uolút, ad uitæ uſum an-
chorá & figuli rotá inueniſſe. Præterea ut Anaximáder Tha
letis audiror, quē ſummú fuiſſe aſtrologú Plinius libro ſe-
cúdo nat. hiſt. ſcribit, primus cœleſtia docuit ſigna. Primus
itē terræ ac maris ambitú deſcripſit, & ut qdá uolút, mate-
rialē ſphærá excogitauit. Itē ut Pherecydes Syrus Badi fi-
lius Pittaci auditor, qui primus oīum de diis, & natura ſcri
pſiſſe apd grecos fert, primuſq̃, ut author ē i tuſcu. Cicero,
aíos hoīum ſempiternos eſſe dixit. Is, cú aquá ex puteo bi-

biſſet, terræ motũ, qui poſt diẽ tertiũ fuit, prædixit. & nauẽ plenis uenĩetem uelis mergendã, & eo inſpectante merſa eſt. Perilaum hoſpitem ſuũ, ut Meſſana cum tota familia diſcederet, monuit. Quod cum ille facere neglexiſſet, non multo poſt capta ab hoſtibus patria ſe, ac ſua perdidit. Idẽ teſte Plinio libro naturalis hiſtoriæ. xii. proſam orationẽ primus contexuit. Floruit & ipſe, ſicut & ſapientes ſeptẽ, Cyri regis temporibus regnante Romæ Tullo Hoſtilio, cuius auditor Pythagoras fuit. Item Myſon Cheneus, quem, ut Hipponax ait, ſapientiſſimũ omniũ Apollo prædicauit, & quem Hermippus inter ſeptẽ ſapiẽtes numerat patre genitum Strymone, quem fuiſſe tyrannũ memorant. Cuius opera Piſiſtrato tyranno credunt adſcripta. Hic aiebat, nõ ex uerbis res, ſed ex rebus uerba inquirenda, neq; propter uerba res perſici, ſed rerũ gratia uerba cõſumari. Obiit, cũ eſſet annorũ. Lxxvii. Et quoniã longus nobis ſermo de ſapientibus ſeptem habitus eſt, dicendũ nobis hoc loco eſt, quãdo primum ſapiẽtiæ ſtudioſi nõ ſapientes amplius, ſed philoſophi cœpti ſint appellari. Prim⁹ Pythagoras fuit, qui ſe philoſophũ hoc eſt, ut Cicero in ſecundo officiorũ interpretatur, ſapientiæ ſtudioſum dici uoluit. Nam cũ de ægypto reuerſus ad olympicũ certamen aſcendiſſet, & diſciplinarũ multitudine omnes in ſui admirationẽ conuertiſſet, Leontij Phliaſiorũ, ſiue Sicyoniorum tyranno percũctanti reſpondit, ſe nõ ſapiẽtẽ, cũ ſolus deus ſapiens eſſet, ſed philoſophum eſſe, quem cæteri ſapientes deinceps ſecuti ſunt. Philoſophiæ principia duo extitere. Alterũ quidem Ionicũ ab Anaximãdro Mileſio, qui Thaletis auditor fuit. & Thales ipſe Mileſius ex Ionia fuit. Alterũ a Pythagora, quod Italicum eſt appellatum, Nam plurimũ in Italia philoſophatus eſt Pythagoras. Hinc Ionica philoſophia, & italica celebrata eſt. Cæterum Ionica in Clytomachum, Chryſippũ, & Theophraſtum deſiit, de quibus infra latius dicemus. At Italica in Epicurũ. Nunc igitur ſucceſſionem, & quaſi quãdam philoſophorũ genealogiam explicabo, ut philoſophię utriuſq; inſignes philoſophos ſibi inuicem ſuccedentes tibi proponam. Igitur Anaximandro ſucceſſit eius filius Anaximenes

menes Euriſtrati filius Mileſius, qui Anaximandri auditor fuit, quanuis & Parmenidem illum audiſſe, quidam affirmant. Hic, ut Laertius refert, initium dixit aera, & infinitũ. Sidera non ſupra terram, ſed circa terram moueri. Eo die obiit, quo Sardeis Lydiæ urbs Crœſi regia capta eſt. Anaximeni Anaxagoras Clazomenius Hegeſibuli, ſiue Eboli filius ipſius Anaximenis diſcipulus opibus, animo, gloria clariſſimus, qui ſpreto patrimonio, quod ſuis ſponte conceſſit, ad ſpeculandã rerum naturam ſe contulit. Quare dicenti cuidam, Non ne tibi ulla patriæ cura eſt? reſpondiſſe fertur, & ſumma quidem, & manum attolens digito cœlum oſtendiſſe. Primus hic materiæ, quã Hylen appellẽt, mentem adiecit in principio ſui operis ſcribens. Omnia ſimul erat. deinde acceſſit mens, eaq; compoſuit. Annorum erat xx. quãdo Græciã Xerxes inuaſit, quo anno ſub Callia phi loſphari Athenis cœperat, ubi & annos. xxx. commoratum perhibẽt. Annos autem uixit. LXII. Huic Archelaus patre natus Apollodoro Athenienſis, ſiue, ut alii uolũt, Mileſius. Fuit Anaxagoræ diſcipulus, & Socratis magiſter, qui primus ex Ionia phyſicam philoſophiã Athenas inuexit, & cognominatus eſt Phyſicus Socrate ethicen introducente: quanq̃ ne illa quidem Archelaus caruit, ut qui de legibus, de æquo, & honeſto ſit philoſophatus. Quę cum Socrates ab eo, ut quidam putant, accepiſſet, inueniſſe creditus eſt. Sed ne te nominis ſimilitudo in errorem trahat, fuere alii quoq; Anaxagoræ, primus, qui omnem peragratã ab Alexandro terram deſcripſit. Alius, qui propria naturæ uerſibus tradidit. Tertius orator, qui de arte oratoria libros reliquit. Aliũ præterea, qui Troianus fuit Antenoris filius bellator eximius, cuius in ſecũdo Iliados Homerus meminit. Archelao ſucceſſit Socrates Athenienſis ex pago Alopecẽſi Sophroniſci marmorarii filius, quem primũ Anaxagoræ diſcipulum, poſt Archelai perhibent. Hic primus ethicen, hoc eſt moralem philoſophiam introduxiſſe dicitur, quam Cicero in primo Tuſculanarum quæſtionũ ait, ab eo fuiſſe de cœlo euocatam, & in urbeis, ac domos introductam, cũ ante illum philoſophi phyſicæ tantum, ideſt naturali uacaſ

ſent. Nã cum ipſe quoq; naturalia, & diuina quæreret, ubi uidit logica facultate. cuius Zeno pythagoricus fuiſſe inuẽtor dicitur, ad illa diſcernenda, & cognoſcẽda tanq̃ per longas nimiũ ambages opus eſſe, nõ digna ducens, ut ait Xenophon, in quibus diutius occuparet, ad moralem ſe philoſophiam cõtulit. Fuit etiam orator clarus, primuſq; cum Aeſchine diſcipulo teſte Fauorino facultatis oratoriæ campos aperuit. Veneno demũ illi publice dato, quod de diis male ſentire putaret, uitam finiuit. Sed tanta poſtmodum Athenienſes facti pœnitẽtia ſecuta eſt, ut palæſtræ, ac gymnaſia clauderentur, & partim morte, partim exilio damnarentur damnationis authores. A Socrate autẽ tanq̃ ex uberrimo fonte multa ſapientiæ manarunt flumina. Ex ingenti autẽ numero duos præcipue clariſſimos habuit diſcipulos, Platonem, & Xenophontem. Et Plato quidẽ illius ſucceſſor Athenienſis fuit patre Ariſtone, matre Perictonia, ſiue Potona ortus a Solone maternũ genus trahens, a quo Sextus numeraſ. Alii ad Neleum, & Neptunum eius genus referũt. Natus eſt Plato Apollodoro teſte i Chronicis octogeſima octaua Olympiade. Natum ferũt in Aegina in Phidiadis domo, qui Thaletis filius fuit. Dionyſium habuit in grammaticis doctorem. Corporis exercitatorem Ariſtonẽ palæſtriten. a quo propter egregiam corporis formã, & habitudinem Plato dictus eſt: cum prius Ariſtoteles ex aui nomine diceref. Picturæ uacauit. Poemata edidit, in qbus & tragœdias. Quare cum tragicum certamen initurus eſſet, ante dionyſiacum theatrũ audito Socrate in ignẽ poemata cõiecit dicens. Hic Vulcane Plato tua indiget ope. Ergo annum agens. xx. Socratem audiuit. Illo ſublato Cratilum Heracliti diſcipulum, & Hermogenem Parmenidis philoſophiam tuentem. Dein annos duodetriginta natus Megaram ſe cum ſocraticis ad Euclidem contulit. Inde Cyrenen profectus Theodorũ mathematicũ audiuit. Poſt i Italiam ad pythagoreos Philolaum, & Eurytum cõceſſit. Inde uero cum Euripide in Aegyptũ ſe contulit, ubi ſacerdotes, & prophetas, ſic enim ſuos Aegyptii ſapientes uocant, audiuit. Athenas reuerſus Academiã cõſtituit. Locus is fuit

in ſuburbano

Digitized by Google

in ſuburbano nemoroſus ab heroe quodã, cui nomen Academus, ſic appellatus. Miſcuit Heracliteorum, pythagoreorumq́, ac ſocraticorum rationes, atq; in iis quidẽ, quæ ſenſibus ſubiacent Heracliti partes tuebatur. Porro in iis, quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ acquieſcebat. In rebus uero ciuilibus ſuum Socratem amplectebat. Atq; ita in unũ corpus triplicem philoſophiæ compegit rationem. Pecuniis ſatis quidem abundauit, Nam a Dionyſio Syracuſano, qui uenienti illi uittatam nauem obuiam miſiſſe dicitur, plus octoginta talentis accepit. De quo ne plura dicam, & tamen plurima paucis complectar, ſublimitate ingenii, & diſciplinarũ omniũ cognitione tantũ nõis, & authoritatis eſt adeptus, ut diuinus Plato ab oĩbus nũcupet, Mira, & exuberãs ĩ eo dicẽdi copia, & uis eloquẽtiæ, cuius ob eximiã quaſi latitudinẽ quidã appellatũ Platonẽ exiſtimãt, ad qđ ſpectaſſe Socratis ſomniũ quidã credidere. Fert. n. Socrates per ſomniũ uidiſſe Cycni pullũ ſibi in gremio pluměſcere, qui adauctis repẽte alis ſtatim euolauerit, & ſuauiſſimos cantus ediderit. Poſtridie, cũ Plato ei a patre commẽdatus eſſet, hũc dixiſſe cycnũ eſſe, quem per quietẽ uidiſſet. Obiit annũ agẽs. Lxxxi. cẽteſimæ octauæ olympiadis anno primo, ſicut Hermippus teſte Laertio tradit. Hic ut aliã numeroſam diſcipulorũ multitudinẽ ſilẽtio prętereã, præcipuos habuit, ac celebratiſſimos Speuſippũ Atheniẽſem ſuã ex ſorore nepotẽ. Xenocratẽ Chalcedoniũ. Ariſtotelẽ Stagyriten. Philippũ Opũtiũ. Heſtiæũ Perinthiũ. Dionem Syracuſanũ. Amyclũ Heracleoten. Ereſcũ, & Coriſcũ Scepſios. Timolaũ Cizicenũ. Eutonẽ Lampſacenum. Hippotalen, & Calippum Atheniẽſes. Demetrium Amphipoliten. Heracliden ponticũ. Cũq; his mulieres duas Lastheniã matineã, & Axiotheã phliaſiã, quæ, ut Dicæarchus author eſt, uirili utebant ueſte. Addunt quidã Theophraſtũ, & Hyperidem oratorem. Chlameleon, & Lycurgum, ac Demoſthenẽ. Platoni ſucceſſere Speuſippus, & Xenocrates. Speuſippus Eurymedõtis filius fuit Atheniẽſis ex ſorore, ut diximus, Platonis. Platonicæ ſcholę annos octo pſuit, multũ tñ moribus, & grauitate auũculi Platonis diſſimilis.

micam ſcholam ſucceſſor factus rexerit. Tantam hic inter ipſa philoſophiæ initia oris, atq; habitus ſumpſiſſe conſtantiam fertur, ut uſq; ad exitum uitæ idē perduraret, neq; uocem unq̃ mutaret, adeo, ut, cū canis eius ſurā morſu diſcerperet, habitū oris nihil mutauerit. Necnon excitato in urbe tumultu quidnam accidiſſet, tantúmodo percūctatus immobilis permanſerit. Eratq; adiuncta miro temperamēto grauitate urbanus, idq; uitabat, quod de Euripide ſcribit Ariſtophanes acidum eū atq; aſperum uocans. Cum rogaretur, non ſedens, ſed inambulans reſpondebat. Quare tali uitæ inſtituto, ac moribus factus eſt in ciuitate uenerabilis, mire in omnibus Xenocratis grauitatē, atq; conſtantiā æmulatus. Obiit admodum ſenex ex Phthiſi, & ſcripta reliquit q̃plurima. Polemoni Crantor, & Crates ſucceſſere. Crantor Solenſis Xenocratis fuit auditor Polemonis amicus, & admodum ſtudioſus. Cuius rei cauſam cum quidā ex eo quærerent, ait, quia neq; acutius, neq; grauius loquē tem audiſſet. adeoq; illū admiratus ē, ut eius quoq; poſtea factus ſit auditor, ac demum ſucceſſor. Obiit ante Polemonem & Cratem morbo intercutis. Commentaria reliquit ad. xxx. uerſuum millia, quæ annulo ſignata in æde Mineruæ condidit. Percunctanti Arceſilao, ubi ſepeliri uellet, in charis terræ uiſceribus reſpondit. Crates uero athenienſis Antigenis filius Polemonis auditor, ac ſucceſſor. Quorũ mutuus amor fuit tantus, ut uiui eadem ſtudia ſint ſecuti. mortui eidē ſepulchro illati, in quos Antagoras poeta huius ſententiæ epitaphiū edidit. Hoc tumulo Cratem & Polemonē conditos ſatere, qui tranſis o hoſpes uiros conſenſu animorũ præcipuos, quorũ diuino ex ore doctrina manauit ſacra, uitæq; mundities ſapiētiæ adiuncta ueris, certiſq; perſuadens dogmatibus ornauit ſeculū. Hinc factum eſt, ut cum ad eos a Theophraſto diuerteret Arceſilaus, diceret, illos deos eſſe aliquos, aut aurei ſeculi reliquias. Fuit alter etiam Thebanus Crates ſecta Cynicus, ut pote Diogenis diſcipulus, cuius præclarum illud manet documētum diuitiarum contemptus. Nam cum magnum auri pondus in mare abieciſſet, ait. Abi a me uenenum. Vos ego potius

diuitiæ mergam,q̃ a uobis mergar. Sed & alii multi,nam
decem memorantur huius nominis inſignes uiri.Cratetis
auditor,ac ſucceſſor fuit Arceſilaus Pittanæus ex Acolide
Seuthi,ſiue Scythi filius,quemadmodum Apollodorus in
chronicis ſcribit. Auditor primũ fuit Auctolici mathemati
ci ciuis ſui.Poſt illum uero Xanthi Athenïẽſis muſici. Dein
Theophraſti,& Crantoris,qui poeticã amplexus in Atta-
lum epigrammata ſcripſiſſe fertur. Homeri lectione impri
mis delectabatur,cuius adeo ſtudioſus erat,ut ſemper ante
ſomnũ ex eo aliquid legeret,& mane,cum ſurgeret. Pin-
dari quoq; poſt Homerũ,cuius uerborum copiã & nomi-
nũ ualde laudabat.Obiit immodico uini hauſtu, cũ anno-
rum quinq;,ac ſeptuaginta eſſet. Arceſilaus ſucceſſorẽ ha-
buit Lacyden Cyrenæum Alexandri filiũ. Hic ſcholam ha
buit academicam in horto,quẽ illi rex Attalus fieri curaue
rat admirandæ uir ſeueritatis. Eius quidem auditores per-
multi fuere, inter quos maxime inſignis Cyrenaicus fuit
Ariſtippus. Illi autem,ut Euſebius ſcribit,Euãder ſucceſſit,
uel,ut alii uolunt,ſtatim Carneades Academici princeps
factus gymnaſii,tertiamq; conſtituit Academiam,quæ no
ua eſt appellata.Carneades autem & ipſe Cyrenæus Epi
comi,ſiue Philocomi filius.Hic ſtoicorum,& Chryſippi li-
bris diligenter lectis modice reluctabatur,adeoq; uerecun
de id faciebat,ut diceret,niſi Chryſippus eſſet,ego nõ eſ-
ſem.Ethicæ magis,q̃ phyſicæ uacauit,præcipuaq; inten-
tione ſtudiorum & cæſariẽ,& ungues nutriebat. Tantũ autẽ
ſibi nominis,& authoritatis in philoſophia comparauit,ut
ad illum audiẽdum etiam oratores uenirẽt. Annorũ octo-
ginta quinq; obiit.Huic Clitomachus ſucceſſit,in quẽ,ut
iam diximus,& Chryſippũ,ac Theophraſtũ Ionica philo-
ſophia deſiit.Et Clitomachus patria quidẽ Carthaginẽſis
fuit,in qua doctus eſt Aſdrubal,& in qua philoſophari iam
cœperat. Annos quadraginta natus Athenas ſe cõtulit,&
Carneadis auditor,& familiaris factus tantũ profecit,ut illi
demũ ſuccederet i tribus uerſatus ſectis academica,ſtoica,
& peripatetica. In Chryſippũ ſic quoq; deſiit. Socrati etiã
ſucceſſit Antiſthenes. Antiſtheni Diogenes Cynicus. Dio
geni

geni Crates Thebanus. Ei Zeno. Zenoni Cleantes, cui Chryſippus. Antiſthenes ergo de Socratis ſucceſſoribus unus Athenienſis fuit patre natus Antiſthene. Hic quidem initio Gorgian audiuit oratorem. Vnde & in dialogis oratorium dicendi genus exprimit. Dein ſe totũ Socrati dedidit, ad quem quotidie de Pyræo quadraginta emenſus ſtadia ueniebat tolerantia, & patientia magiſtrum imitatus, quem tantifecit, ſic admiratus eſt, ut ſuos diſcipulos, ut ſecum illum audirent, hortaretur. Hic fertur primus Cynicæ ſectæ fundamẽta ieciſſe, primuſq; ſermonẽ, quid eſſet, diffiniſſe dicẽs. Sermo eſt, qui quid quidq; ſit, aut fuerit, exprimit. Illud quoq; identidẽ dicere ſolitus, Inſania me potius, q̃ uoluptas corripiet. Pontico adoleſcẽti, cum cuperet eius fieri diſcipulus, ac rogaret, qua ſibi re opus eſſet, libro inquit nouo, ſtiloq; nouo, & noua tabella, animũ uidelicet ſignificãs. Percũctãti cuiuſmodi uxorẽ duceret. Si inqt formoſam duxeris, cõmunẽ habiturus es. Si deformẽ, pœnã. Cũ audiſſet Platonẽ aliqñ ſibi maledicere, Regiũ, inqt, eſt, male audire, cũ beneſeceris. Cũ orpheicis ſacris initiaret̃, & diceret ſacerdos, eiuſmodi ſacris initiatos bonis plurimis apud inferos pfrui, cur igit̃, ait, ipſe nõ moreris? Aiebat etiã, ſatius eſſe neceſſitate urgẽte in coruos, q̃ in aſſentatores incidere. Illos qppe mortuos. Iſtos aũt uiuẽtes deuorare. Et illud, Sicut rubigine ferrũ, ita inuidia inuidos cõſumi. Itẽ peſſime tũc cũ ciuitatibus agi qñ boni a malis nõ diſcernunt̃. Fratrũ, qui eſſent cõcordes, uinculũ dicebat oĩ pariete fortius. Præterea parãdũ eſſe uiaticũ, qd cũ naufragio ſimul enataret. Cũ ei aliqñ daret̃ pbro, qd cũ iprobis cõſuetudinẽ haberet, at medicos, aiebat, cũ ægrotãtibus uerſari, neq; tñ febricitare. Interrogatus q̃ nã eſſet diſciplina magis neceſſaria. Mala inqt, dediſcere. Percũctãti qdnã ex philoſophia didiciſſet. Mecũ, inqt, poſſe loq. Abſurdũ eſſe dicebat triticũ lolio purgare, & bellũ inutili milite. Rẽ uõ pub. inuidis ñ exhauriri Platonẽ iſimulabat, ut faſtu turgidũ. Cũ ergo fieret põpa inſpiciẽs hinniẽtẽ equũ, fremẽtẽq; ad Platonẽ cõuerſus, tu inqt, meo iudicio pclarus fuiſſes equus. Venit aliqñ ad eum ægrotãtẽ Antiſthenes, & uas cernẽs,

in quod Plato uomuerat, inquit, bilem hic uideo, faſtũ nõ uideo. Cuidam delitias laudanti, inimici ait noſtri delicate uiuant. Aiebat etiam præſtare cum paucis bonis aduerſus malos omneis, q̃ cũ multis malis aduerſus paucos bonos pugnare. Murum munitiſſimũ eſſe prudẽtiam, neq; enim decidere, neq; prodi. Et uirtutẽ arma eſſe, quæ tolli nõ poſſint. Tam multa ſcripſit, ut ob nimiã copiam Timon illum increpans ingenioſum nugatorem dixerit. Diogenes autẽ Sinopeus fuit Iceſii Menſarii filius, qui profugiſſe ex patria dicitur, quod falſam monetam cuderet. Athenas profectus pertinacia quadam uicit, & effecit, ut ab Antiſthene reciperet, & eius fieret diſcipulus, nam diu recuſauerat Antiſthenes. Pallium primus habuiſſe duplex dicitur, & peram, in qua cibos ferret omni utens ad omnia loco. Doliũ pro domo habuit, cũ Cellam ſibi a quodam parari petiſſet, ac ſegnius id fieret. Idem ubi puerum concaua manu bibentẽ uidit, uile, quod habebat, poculũ abiecit. Dicebat, omnia deorum eſſe, & ſapientum amicos eſſe deos. Suauis admodum erat illius ſermo, ſed in deſpiciendis aliis acer. Nã Euclidis ſcholam bilem eſſe aiebat. Platonis uero auditorium conſumptionem. Dionyſia certamina magna ſtultorũ miracula. Grãmaticos mirari ſe dicebat, quod illi mala Vlyſſis quærerent, ſua ignorarent. Mathematicos ſtultitiæ accuſabat quod ſolem, ac lunam, & cætera contemplarentur ſydera, eorum uero, quæ ante pedes eſſent, nullam curã gererent. Ad eũ, qui de cœleſtibus diſſerebat, conuerſus ait. quãdo tu de cœlo ueniſti? Interrogatus, qua hora prandere oporteret, ſi diues, inquit, eſt, quãdo uult, ſi pauper, cum poteſt. Apud Megarẽſes cum uidiſſet oues pellibus tectas. illorum uero filios nudos. Præſtat, inquit, Megarẽſis Arietem eſſe, q̃ filiũ. Lucernam inter diu accendẽs hominem, inquit, quæro. E balneis exiens percunctanti, an multi homines lauarẽt, negauit. Adiicienti, num turba multa, confeſſus eſt. Plato diffinierat, hominem eſſe animal ſine pennis bipedem. Placuit Diogeni iſta diffinitio, & nudatũ pennis, ac pluma gallum in eius ſcholam detulit, dicẽs, hic eſt Platonis homo, unde adiectum diffinitioni eſt, latis unguibus

bus. Cũ uidiſſet aliquãdo magiſtratus, qui Hieromnemo-
nes dicebantur, quendã adducẽtes, qui phialã ex ærario fu
ratus fuerat, Magni, inquit, fures paruũ ducunt. Compoſi-
to adoloſcenti quidpiam roganti non ante ſe reſponſurum
dixit, q̃ exploraret, uir ne eſſet, an fœmina. Intercœnandũ
oſſa illi quidam, ut cani iactabant. At ille propius accedens
in illos mingebat, ut canis. Diuitem indoctum ouem aureo
uellere appellabat. Rogatus, quidnam eſſet in uita miſe-
rum, Senex inquit egens. Quænam pernicioſiſſime mor-
deret bellua. Ex feris, inquit, obtrectator, Ex mitioribus au
tem adulator. Vẽtrem uitæ Carybdin appellabat. Bonos
uiros dicebat effigies deorum eſſe. Videns adoleſcẽtulum
rubore perfuſum. Confide, inquit, fili. Iſtiuſmodi eſt uirtu-
tis color. Dicenti cuidam, malum eſt uiuere, Nequaq̃ ma-
lum eſt, inquit, uiuere, ſed male uiuere. Mindũ profectus,
cum uideret portas magnificas, & urbẽ exiguã, uiri Min-
denſes inquit, portas claudite, ne ueſtra urbs egrediat. Cũ
ſibi quidam uitio uerterent, quod in foro comederet, At in
foro, inquit, eſurio. Rediẽs ab olympiis rogatus, an ibi mul
ta fuiſſet turba, Turba, inquit, multa, homines pauci. Qui
recta dicerent, & non facerent, eos cytharæ ſimiles aiebat,
& hanc enim nihil audire, nihil ſentire. Decoro adoleſcenti
indecenter loquenti ait, Non erubeſcis ex eburnea uagina
plumbeum educere gladium? Cum ei uitio daretur, quod
in caupona biberet, & in tonſtrina tondeor, inquit. Ad hũc
cum Alexander Macedo aliquãdo ueniſſet, admiratus ho-
minis uirtutem, ac ſapiẽtiam dixit, uellem Diogenes eſſe,
ſi non eſſem Alexander. Cum nauigaret Aeginã compre-
henſus a pyratis, & in Cretam perductus, ut ibi uẽderetur,
interrogatus quidnam ſciret facere, reſpondit, ſcire ſe ho-
minibus imperare. Tunc iuſſus præco eſt alta uoce mone-
re. Nunquis emere ſibi dominũ uellet. Sedere prohibitus,
ait, Nihil refert, Nam & piſces quoquo modo iaceãt, emũ-
tur. Cum demum Corynthium quendam uidiſſet habitu,
& facie liberali, dixit, Huic me uẽde, hic enim domino in-
diget. Emit illum Xeniades, Nã Corynthio illi nomen id
fuit, & ſapientiam illius admiratus filiis magiſtrum dedit.

ac domui ſuæ præfecit. Sic autē ſe geſſit, ut Xeniades illi ſu
perſtes diceret. Bonus dæmon meam domū, ingreſſus eſt.
Voluere illum neceſſarii redimere, quemadmodum Cleo
menes in libro, qui pædagogus inſcribitur, narrat, ſed di-
xiſſe Diogenem, illos fatuos eſſe, aſſerēs, nō eſſe leones nu-
trientium ſeruos. Sed potius illos ſeruire leonibus. Nã ſer-
ui eſt timere. Feras uero hominibus terrori eſſe. Erat mira
illi in uerbis efficacia, & perſuadendi uis, ut facile quenli-
bet oratione ſua caperet. Obiit annorū ferme nonaginta.
De cuius morte uaria eſt opinio. Sed illa magis recepta cō
tinuiſſe ſpiritum, atq; ita extinctum. Inuolutus enim pallio
inuentus eſt animam exhalaſſe. Suſpicatiq; ſunt homines,
illum hoc feciſſe, deſiderio migrandi e uita. Sepultus eſt
ante portam Corynthi, quæ ad Iſthmum ducit. Sepulchro
columna cum cane ex lapide pario impoſita. Eius quoq;
ciues æreis illum ſtatuis honorarunt cum inſcriptione ta-
li'. Seneſcet quidem hoc æs tempore, ſed tua ſane gloria
nō aboleſcet omnibus ſeculis. Nam uitæ gloria mortales
illuſtraſti, faciléq; uiuendi uiam prætuliſti. Plurima ſcripſit,
quæ ne longior plus æquo ſim, conſulto prætereo. Quinq;
autem fuere Diogenes. Sed hic gloria omnibus anteceſſit.
Diogeni Thebanus Crates ſucceſſit, de quo'ſupra memi-
nimus, Aſcondii filius, inter ſapientiſſimos Diogenis diſci-
pulos numeratus. Opulentus hic, & nobilis fuit, ſed ad phi
loſophandum ſe conferens diuendito patrimonio, ut qui-
dam ſcripſere, ducenta, quæ inde collegerat, talenta ciui-
bus'diuiſit. Sunt, qui dicant, perſuaſum a Diogene, ſiquid
haberet pecuniæ, illud in mare abiicere, atq; ut ſupra rettu
limus, abieciſſe. Volebant eum propinqui ab incepto re-
trahere. Quod cum facere conarentur, baculo eos abige-
bat, ac in incepto perſtabat. Refert Demetrius Magnetius
Cratetis patrem crebro Athenas euntem, cum mercator
eſſet complures ſocraticos Zenonis libros emiſſe, & adhuc
puero dediſſe. Quo factum eſt, ut etiam in patria philoſo-
phiæ deſiderio flagraret, quo impulſu demum Athenas
profectus ſit. Cum iam ſenex factus eſſet, & morti ſe pro-
ximum intelligeret, ſe ipſum ſic alloquebatur. Perge iam

amice

amice, perge ad inferni ſedes ſtatu ob ſeniũ curue. Curuatus enim ob ſenectutem erat. Percunctãti Alexãdro, num ſuam reſtitui patriam uellet, reſpondit. Quid opus erit? rur ſus enim fortaſſe Alexãder alius euertet. Huic Zeno Mnaſici, ſiue Demei filius Citticus ex Cypro grçca ciuitate phœnicibus frequenter accolis, author Laertius. Collo fuit in alteram partem inclinatiore, gracili corpore, atq; procæro, & atra cute, propter quod illum quidam ægyptium palmitem dixit. Crura illi fuere turgida, & infirma. Quã ob cauſam ſæpe ad cœnas uocatus ire ſuperſedebat. Ficubus libẽter ueſcebatur recẽtibus, & ad ſolem paſſis. Poſt Cratem, atq; Stilbonem continuo decennio Xenocratem audiuit. Cum oraculum conſuluiſſet, quo pacto uiuere optime poſſet, audiuit, ſi mortuis concolor eſſet. Quid moneretur intellexit. ille, Quare ad legendos priſcorum libros magno ſtudio ſe contulit. Porticum uolens Polygnoti pictura inſignem, illuſtriorem, atq; inuiolabilem reddere ſeditionibus, nam cæſi fuerant ibi ciues q̃ plurimi, etenim mille quadringenti, ac triginta perhibentur necati, cœpit in illa docere. Porticus autem erat inſignis ut dixi uaria, & multæ ſcientiæ pictura Polygnoti. Polygnotus autem pictor fuit eximius, & antiquiſſimus, cuius meminit in ſeptimo naturalis hiſtoriæ Plinius, & Quintilianus libro de inſtitutione oratoria. xii. Ad quem audiendum uenientes auditores, qui ante Zenonii dicebantur. Stoici deinceps a porticu cœperunt appellari, ut in epiſtolis teſtatur Epicurus. Nam & poetæ ſoliti antea in ea uerſari, ut author eſt Eratoſthenes, Stoici nuncupabãtur. Zeno autem tanto apud Athenienſes in honore fuit, tantaq; apud illos authoritate polluit, ac fide, ut apud eum claues urbis deponerent, & ærea ſtatua, & aurea corona inſignirent. Quo quidem honore ſui quoq; ciues illum affecerũt. Habuit auditores plurimos quidẽ claros, inter quos & Antigonus rex fuit, quoties Athenas ueniebat, qui etiam aliquando epiſtolam, cuius exemplum ſubiecimus, ad eum ſcripſit.

Rex Antigonus Zenoni philoſopho. S. D. Ego me fortuna & gloria uitam tuam anteire exiſtimo. Cæterũ diſciplinis,

ſtudiiſq; liberalibus,& perfecta felicitate,quam tute poſſides,longe abs te præcelli me ſentio. Quocirca te orate ſtatui,ut ad me proficiſcare,id mihi perſuadens,te meas preces minime irritas fieri paſſurū. Tu igitur modis omnibus enitere.ut tuo cōtubernio fruamur,hoc pro certo habens,te non mei ſolum,ſed omniū ſimul Macedonum eruditorem fore, Nam,qui Macedoniæ regem erudit,atq; ad uirtutem imbuit,eum,& ſubditos quoq; inſtruere ad fortitudinem,& probitatem certū eſt. Ná cuiuſmodi fuerit dux,tales ut plurimum fieri ſubditos neceſſe eſt. Vale. Reſpondit Zeno,ac plurimum laudauit,quod ſtudia bonarū artiū non uoluptaté ſequeretur,quæ adoleſcentiū animos corrumpit,& effœminat,Porro ſi adiiciatur modica exercitatio,neq; deſit præceptoris copia,mature eum poſſe perfectum euadere.Se ad eum nō iturum,quod ſenio impediretur,utpote iam octogenarius. At ex contubernalibus ſuis quoſdā miſſuꝝ,quibus ſi eo,quo deceret,modo uti uellet, non dubitare ſe,illum poſſe ueram beatitudinē conſequi. Miſit autem Perſeum,ac Philolaum Thebanum.Dicebat Zeno quidem multa ſcite,ac prudenter,quæ uitam inſtituerent,e quorum magno acetuo non nulla ſubiiciemus, ut Illud. Nihil faſtu eſſe indecentius,idq; cum in cæteris, tum in iuuenibus maxime.Item,cōuenire præcipue iuuenibus uti ſumma honeſtate,habitu,inceſſu,amictu. Habebatq; ſemper i ore Euripidis de Napeo uerſus, quod opes illi quidē fuerint.ſed opibus elatus non inceſſerit,neq; plus faſtus,q̃ quiuis egens habuerit. Nullius nos rei maiorem inopiam perpeti,q̃ temporis.Interrogatus,quis eſſet amicus.Alter,inquit,ego.Seruum in furto deprehenſum cum uerberaret,ac ille diceret.Fatale mihi eſt furari,& cædi,inquit.Cuidam unguentis delibuto.Quis hic ait,mulierem olet? Inepta quædam loquenti adoleſcentulo. Iccirco,inquit,aures habemus duas,& os unū,ut plura audiamus,loquamur pauca. In conuiuio tacitus ſedebat. Percunctanti cauſam.Nuncia inquit regi,eſſe quēdam,qui tacere ſciat. Qui autem interrogauerat unus ex legatis erat,qui a Ptolomæo miſſi aduenerāt,& diſcere cupiebant, quid de illo

regi

Digitized by Google

regi nunciarent. Adoleſcenti loquaciori, Aures, inquit, tuæ in linguam confluxere. Edaci cuidam inter epulandũ nihil obſoniorum ſociis relinquenti appoſitum ingentem piſcem abſtulit, ſoluſq; comedere cœpit. Cum ille in eum intueretur. Quid ergo, ait, conuiuas quotidie tolerare arbitraris, Si tu meã ſemel edacitatem ferre non potes? Adoleſcentem inſtantius, q̃ per ætatem conueniret quiddam inquirentem admoto ſpeculo iuſſit inſpicere. Num ſibi uideretur ei faciei taleis quæſtiones cõgruere. Loquente alio adoleſcente audacius, q̃ par erat. Non poſſum inquit adoleſcens dicere, quæ mihi ueniunt in mentem. Heſiodi uerſus mutare ita ſolebat.

Optimus ille quidem, qui paret recta docenti
Clarus & ille quidem, qui cuncta & nouerit ipſe.

Præſtãtiorem eũ eſſe, qui bene quod dicitur, audire poſſit, atq; eo uti, q̃ qui per ſe ipſum omnia aſſequit. Huic enim ſolam adeſſe ad intelligendum ingenii perſpicacitatem. Qui uero obtemperet, ineſſe præterea, & actũ. Rogatus, quare, cum ſeuerus eſſet, hilaris tamen in conuiuio fieret, & lupini, ait, cum amari ſint, aqua tamen macerati dulceſcunt. Erat mira in eo patiẽtia uictus ſimpliciſſimi, crudiſq; tantum cibis utebatur, & tenui pallio, ut de illo uulgatum eſſet, eum neq; ſæua hyeme, neq; gelido imbre, neq; dura ui morbi domari, neq; ſolis æſtu ſtudiiſq; altis intẽtum die noctuq; inuigilare, ut de eo propter excellentem modeſtiã prouerbium ſit natum, Philoſopho continentior Zenone. Athenas profectus annum agens.xxii. Secundo & ſeptuageſimo, ut Perſeus tradit, ut uero alii octauo, & nonageſimo uita exceſſit. Cleantes Phanii filius Athenas uenit cũ drachmis quattuor, ac Zenonis auditor.xix. annis fuit, cũ prius pugil fuiſſet. Qui cum inopia uictus laboraret, operas locabat ſuas noctu aquas ĩ hortis hauriẽs. ſtudiis interdiu uacans. Pinſebat etiam. Tardo ac obtuſo fuit ingenio. Sed illam hebetudinem diligentia, & ſtudii pertinacia uicit. Cum autem robuſtus, ac bonæ habitudinis eſſet tam pauper, & mirarent homines, unde talis uiueret, in iudiciũ uocatus eſt, ut rationem redderet. Oblitorẽ igitur, cui ope-

ras, quas diximus, locabat, ac mulierem, apud quã pinſei bat, ſui uictus teſtes produxit. Quare non ſolum Areopai gitæ illum abſoluerunt, ſed & inſuper ut decem illi mnæ darent, cẽſuere. Sed ne acciperet, Zeno author fuit. Aiũt, aliquando flante uento pene denudatũ, ac ſine tunica apparuiſſe. Qua ex re plauſu exceptum ab Atheniẽſibus, ac honoratum. & admirationi fuiſſe. Ferunt Antigonum tria illi millia dediſſe. Cumq; eum interrogaſſet factus illius auditor, cuius rei gratia hauriret, reſpondiſſe, Num ſolũ haurio? Nunquid non effodio, & rigo, & cætera facio philoſophiæ gratia? Zeno autẽ ad id illum exercebat, iubebatq; ſibi ex labore obolum afferre. Coactam ex operis ſtipẽ aliquando in medium familiarium attulit dicens, Cleantes quidem Cleantem alterum poſſet alere, ſi uellet. Cũq; ab iis, qui ſimul Zenonem audiebant, obiurgaretur, patienter audiebat, neq; illis ſuccẽſebat, & cum diceretur aſinus, non abnuebat. Solum dicebat, ſe poſſe ferre Zenonis ſarcinam. Et, cum quidam illi uitio uerterent, quod timidus eſſet, at ideo, inquit, minus pecco. Suam uero inopiam diuitum opibus præferens dicebat. Dum illi pila ludũt, ego duram, infructuoſamq; humum exerceo. Roganti cuidã, quidnam filio crebro ingereret, ait, Sile, ſile. Tene ueſtigiũ. Lacone quodam dicente, Laborem eſſe bonũ, lætatus eſt, ac dixit, Sanguine præclaro es dulcis nate. Soſitheus poeta dixit in theatro in eum inuectus, Quos Cleantis inſania uaſtat. Eodem tamen ille uultu nihil motus perſtitit. Quare permoti auditores Cleanti plaudentes Soſitheum eiecerunt. Dicebat peripateticos idẽ ferme pati, qđ lyræ quæ cũ bene ſonent, ſe ipſas tñ nõ audiũt. Exprobrãte quodã ſibi ſenectutẽ. Et ego, inquit, abire uolo, cũ me tñ Sanũ omni parte conſidero, & ſcribentẽ, ac legentem, rurſus maneo. Deniq; tãtus euaſit, ut dignus ſit habitus, qui Zenoni ſuccederet. Multa, & præclara ingenii ſui reliquit monumenta. Interitus cauſa illi fuit inedia. Nam cũ tumefacta gingiua putreſceret, cõſilio medicorũ cibo abſtinuit. Quibus deinde cõualeſcentẽ illũ cõſuetis ueſci permittẽtibus, abſtinere adhuc ferunt uoluiſſe, atq; ita cõſumptũ. Cleãti ſuc ceſſit

Digitized by Google

ceſſit Chryſippus, de quo ſupra diximus. In Theophraſtũ autẽ ſic Ionica deſiit philoſophia. Platoni ſucceſſit Ariſtoteles Ariſtoteli Theophraſtus, in quem, ut dixi, finẽ ſortita eſt. De Platone iam diximus. Ariſtoteles, quẽ ſecta peripatetica inſtitutorẽ, ac principẽ habet, ex oppido fuit Stagyra prius quidem obſcuro, ſed tanti ciuis natiuitate illuſtrato. Cuius paternũ genus ad Machaonem Aeſculapii filiũ referunt. Pater Nicomachus arte clarus medica, qui apud Amyntan patrem Philippi Macedonũ regẽ magno in honore fuit. Matrem habuit Pheſtiada nõ obſcuri generis fœminam. Septimodecimo ætatis anno Athenas profectus Platoni ſe dedidit, inter cuius diſcipulos maxime excelluit quem, ut quidam ſcribunt annis. xx. ut alii. xxx. audiuit. Receſſit a Platone, cum adhuc ille uiueret. Quare ferunt illum dixiſſe, Ariſtoteles in uos recalcitrauit non ſecus, atq; in matrem pulli geniti. Ex ſcientiis nullam reliquit, quam diuino ingenio, ac ſummo ſtudio non ſit aſſecutus, ut iure diuus Hieronymus ad Euſthochium ſcribens dixerit, grande illum in natura miraculum extitiſſe. Poſt obitum Platonis ad Hermiam tyrannum profectus apud illum fere triennium fuit. Inde accitus in Macedoniam a Philippo pueri Alexandri magiſter, & cuſtos factus eſt, ubi annos ferme decem commoratus eſt. Profecto autem in Aſiam Alexandro cum exercitu Athenas rediit, & annis xiii. in Lyceo docuit. Fuit autem Lyceum Athenis locus Ariſtotelis ſchola, uti Platonis Academica, ad cuius ſimilitudinem ſuum appellauit in agro tuſculano Lyceum Cicero, cuius libro primo de diuinatione meminit. Dein conſpiratione philoſophorum, quam inuidia excitauit, accuſatus, quod de diis male ſentiret, Socratis exitum metuens omiſſa ſui defenſione in Chalcidem inſulam, quam Nigropontum nunc dicimus, ea eſt Euboea, abiit, ubi reliquum uitæ commoratus eſt. Accuſatus eſt autem ab Eurimedonte Hierophanta, ſiue, ut alii uolunt a Demophilo, quod hymnum in Hermiam ſcripſiſſet. Porro Hermia eunuchus fuit tyrannus, cuius pellicem Ariſtoteles amaſſe dicitur, eique ab Hermia conceſſam,

tantoq́ elatum gaudio Ariſtotelem aiunt, ut illi non aliter immolauerit, q̃ Athenienſes Eleuſinæ Cereri ſolerẽt. Obiit annum agens ſexageſimum tertium, ut alii uolũt, ſeptuageſimum. Cuius egregia quædam dicta, & memoratu digna ſubnotauimus. Interrogatus Ariſtoteles, Quid mendaces lucrarẽtur, ut, cum uera, inquit, dixerint, illis nõ credatur. Cum ei uitio daretur, quod homini cuidam miſericorditer opem non tuliſſet, Non, inquit, mores miſeratus ſum. Studiorum liberalium amaras quidẽ radices, at fructus dulces aiebat. Tria dicebat pueris neceſſaria Ingeniũ, Exercitationẽ. Diſciplinam. Audierat a quodam ſe maledictis laceſſitum. Tum ille, abſentem etiã uerberet. Dicebat pulchritudinem, pluſq̃ epiſtolas omneis ualere ad commẽdationem. Percunctanti cur honeſta forma præſtantibus diutius congredimur, Cæci, inquit, iſtæc interrogatio eſt. Rogatus quomodo differrẽt docti ab indoctis, Quo, inqt, uiuentes a mortuis: Eruditionẽ, aiebat, inter pſpera ornamentum. inter aduerſa refugium. Parentes, qui erudiendos curaſſent liberos longe honorabiliores eſſe, q̃ qui ſolũ genuiſſent. Hos uiuẽdi tantum. Illos autem bene, beateq́ uiuendi authores. Glorianti cuidam, quod magnæ urbis eſſet ciuis, Noli, inquit, hoc attẽdere, ſed an dignus ſis magna, & illuſtri patria inſpice. Rogatus, quid ſit amicus, una inquit, anima in duobus habitans corporibus. Hominum pleroſq́ dicebat tã parcos eſſe, ac ſi ſemper uicturos. Alios tam prodigos, ac ſi continuo ſe morituros credant. Rogatus, quid ex philoſophia lucratus eſſet. Hoc, inquit, ut iniuſſus ea faciam, quæ pleriq́ per legum metũ operantur. Itẽ quales erga amicos eſſe debeamus, Quales inquit, eos erga nos eſſe optamus. Loquaci homini, cum illũ improbe probris multis obtudiſſet, dicẽti, num te ſatis obtudi? Hercules, inquit, non tibi animum intendi. Diſciplinam optimum eſſe aiebat uiaticum ad ſenectutem. Iuſtitiam uirtutem eſſe animi unicuiq́ ſecundum merita diſtribuentem. Interrogatus, Quomodo egregie diſcipuli pficerẽt, ſi excellẽtiores inqt, proſequẽtes tardiores nõ attẽdãt. Scriptorũ illius nimis lõga foret receſſio. ideo cõſulto illa prætereo.

Theophraſtus

Theophraſtus autē Melanti Ereſius humili admodū loco natus, utpote Fullonis filius Leucippum primo ciuem ſuū audiuit in patria, Inde Platonē Athenis, tertio loco Ariſtotelem, a quo propter diuinam eloquētiā Theophraſtus eſt appellatus, cū prius illi Tyrtamo nomen eſſet. Vir ſummæ fuit prudentiæ, ſtudiiq; ſingularis, Menādriq; comici poetæ præceptor beneficus imprimis, ac mire affabilis. Adeo autem acceptus Atheniēſibus fuit, ut, cum Agnonides accuſare illum impietatis auſus eſſet, parū abſuerit, quin ipſe ob eam rē crimen in ſe ipſum retorqueret. Volumina reliquit plurima, quæ, ne lōgior ſim, prætereo. Qui cū omniū ſuæ ætatis teſte Gellio facundiſſimus haberet, progreſſus tamen, ut ad populum Athenienſem uerba faceret, uel pudore impeditus, uel memoria defectus ſiluit. Ad audiendū illum diſcipuli ad duo millia pergebant. Docuit inter alios Nicomachum Ariſtotelis filium, quem ob elegātiam formæ in delitiis habuiſſe, ac non pudice amaſſe quidā ſuſpicati ſunt. Annorū. Lxxxv. obiit. Eius exequias Athenienſes omnes pedibus comitati honorauerūt. Moriens dixit. Multa dulcia obtentu gloriæ uitā mentiri. Et, nihil inanius eſſe amore gloriæ. Vanitatem uitæ multo maiorē eſſe, q̄ ſit utilitas. Italicæ philoſophiæ, cuius authorē Pythagorā fuiſſe diximus, ſeries, atq; ſucceſſio hæc eſt. Pherecydi, quem ſupra deſcripſimus ſucceſſit Pythagoras, qui Samius cognominatus a patria Samo aſiatica contra Epheſum inſula patre genitus, quem Demaratum eſſe dictum Iuſtinus aſſerit diuitem negociatorē. Laertius Mneſcarchum uocat annulorū ſculptorē. In Leſbo Phærecydis auditor fuit. Quo mortuo in patriam rediit Samum. Factuſq; ibi eſt Hermodamantis diſcipulus. Inde adhuc iuuenis diſciplinarū gratia in Aegyptum profectus eſt, ac linguā didicit ægyptiā. In Perſidem quoq;, ac Babylonem migrauit, ubi aſtrologiam edoctus eſt. Inde regreſſus uenit in Cretam, & Spartā, ubi illic Minois inſtituta, hic Lygurgi leges perdidicit. In idæum Cretæ antrum cum Epimenide deſcendit, ubi ſecundum ea, quæ in Aegypto didicerat a diis in arcano magna edoctus eſt. Ad olympicū profectus certamen, cū

ob multarum diſciplinarũ cognitionẽ omnes in ſui admi-
rationem cõuertiſſet, interrogatus eſt, ut diximus, a Leon-
te tyranno, quo nomine uocaretur, philoſophum ſe dixit,
ideſt ſapientiæ amatorem. Poſt hæc Samum reuerſus, ubi
tyrannide Polycratis oppreſſam uidit, clã abiens uenit in
eã partẽ, quæ magna Græcia eſt appellata, ubi, queadmo-
dum Liuius libro primo ab urbe condita ſcribit, in ultima
ora circa Metapontum, Heracleamꝗ, & Crotonam iuue-
num æmulantiũ ſtudia cœtus illum habuiſſe conſtat. Ibiꝗ
Italica philoſophia, & inſtituta, & appellata ẽ. Primus om-
nium Timæo teſte dixit, quod deinceps prouerbii locum
tenuit τὰ πάντα τῶν φιλῶν κοινὰ ideſt Omnia amicorũ
cõmunia, & Amicitiam eſſe æquabilitatẽ. Quocirca illius
diſcipuli omnia in medium afferentes proprias facultates
communes faciebant, unde ſocietas fiebat inſeparabilis.
Qui autem modus recipiendi, inſtituendiꝗ diſcipulos illi
fuerit, ne ſim hac in parte longior, libro primo noctiũ atti-
catum, & capite nono Gellius narrat. Ibi legere poteris.
Geometriam omnem Pythagoras perfecit. Magnã Arith-
meticæ operam dedit. Nec medicinam ignorauit. Primus,
ut author eſt Ariſtoxenus, græcis pondera, & menſuras in-
uexit. Primus item teſte Parmenide Luciferum, & Heſpe-
rum eandem eſſe ſtellam docuit. Tantæ fuit omnibus ad-
mirationi, ut eſſe illum dei omnigenas uoces dicerent. Di-
ctumꝗ ob id Pythagorã Ariſtippus Cyrenaicus affirma-
uit, quod nõ minus uera, q̃ Pythius Apollo diceret. Tanta
fuit præterea formæ illius elegãtia, ut eũ Apollinẽ diſcipuli
putarẽt. Nudatum aliquãdo illius femur aureũ apparuiſſe
fama eſt. Nempe Metapontini illius domum Cereris de-
lubrum uocabant. Vicumꝗ, ubi ea domus erat, ſacratum
muſis. Erat illi ſummum conciliandæ amicitiæ ſtudium.
Adibant illum diſciplinæ, ſtudiorumꝗ cauſa Lucani, & Pi
centes, Appuliꝗ, & Romani. Fuit aũt ignotũ pythagoricũ
dogma uſꝗ ad Philolai tempora. Hic enim treis illos diſſe
minauit libros, quos Plato centum minis ſibi emi per lite-
ras orauit. Non pauciores ſexcentis erant, qui noctu ad illũ
audiendum pergebãt. Ac ſiqui præſentia illius frui poſſent,

ſcribebãt

ſcribebant ſuis, tanq̃ magnum quiddam, ac præclarum
eſſent aſſecuti, Pythagoran ſe uidiſſe. Totam hominis uitá
in parteis quattuor diuidebat ita, ut uicenos ſingulis annos
partibus daret, hoc eſt in pueritiam, adoleſcentiam, iuuen
tuté, ac ſenectutem. Sunt aũt ætates iſtæ anni temporibus
quattuor accõmodatæ. Veri puer. Aeſtati adoleſcens. Au-
tumno iuuenis. Hyemi ſenex. Symbolis maxime utebat.
Eſt autẽ hac in re ſymbolum nõ aperta, ſed uelata uerboꝝ
obſcuritate ſentẽtia. Quod ut tibi manifeſtius fiat, quædá
ex numero ſymboloꝝ illius tibi exempla proponá. Aiebat,
Ignem gladio nõ fodiendũ, ideſt potentiũ iram, ac tumen
tium indignationem non eſſe laceſſendam. Stateram nõ
tranſiliẽdá. ideſt Aequũ, & iuſtum trãſgredi nõ oportere.
Cor nõ edendum, ideſt Animum angoribus, doloribuſqꝫ
nõ excruciandũ. In Chœnice nõ ſedendũ, ideſt habẽdam
eſſe futuri curam. Eſt enim Chœnix diurna eſca. Extra pu
blicam uiam non eundum, ideſt A legibus patriæ, ac inſti
tutis, & bona conſuetudine recedendum non eſſe. Dextrá
non facile iniiciẽdam, ideſt non temere quenlibet in ami-
citiam recipiendum: Ad id enim iudicio acri, & diligenti
conſideratione opus eſt. Quare imprudentibus facile
diſſuuntur amicitiæ. Stramenta habenda ſemper colliga-
ta, ideſt concordiæ ſemper ſtudẽdum. Ollæ ueſtigium in
cinere confundendũ, Hoc eſt reliquias, uel cauſas inimici-
tiarum abolẽdas. Onus una tollẽdum, ideſt Aequabilita-
tem in ciuitate ſeruandam, ac leges debere omnibus, cõ-
munes eſſe, neqꝫ plus oneris pauperi adiiciendum, q̃ diui-
ti. Quæ ſunt recuruis unguibus, aues minime nutriẽdas.
hoc eſt rapaces, & auaros homines uitandos. Gladium
acutum declinandum, ideſt fugiendam iracundi cõſuetu-
dinẽ. Riſu abſtinebat, & facetiis, oneroſiſqꝫ narrationibus.
Iratus nunq̃ uel liberum uel ſeruũ cædebat. Cibus illi ple-
rũqꝫ ex ſolo pane, & melle, aut fauo erat. Vinũ quotidie nõ
guſtabat. Nunq̃ deprehẽſus eſt uel ſaturitati, uel rebus ue-
nereis, uel ebrietati operá dediſſe. Stola utebat candida, &
mũda. Stramẽtis itẽ candidis ex lana, nondũ enim lineoꝝ
uſus ad ea loca puenerat, Diſcipulos freq̃nter admonebat,

Digitized by Google

ne fruſtra tempus elabi ſinerēt, & quotidie, cum ſe domū referrent, dicerent, Vbi fui? Quid feci? Quid ex iis, quæ facere debui, omiſi? Cōtra uulgatam opinionē carnibus ille uesci nō uetabat. Sed, ut Ariſtoxenus ait, cuncta in cibum permittebat animalia præter bouem aratorē, & arietem. Sed abſtinere uolebat mortales, ut eos exerceret, & faciliori uictui aſſuefaceret, ut cibos ſemper in promptu, & paratos haberent, quibus igne ad coquēdum opus non eſſet. Hinc bonam corpori ualetudinē, ingenio autem acumen acquiri. Seniores aiebat honorādos, quodq; tempore præcederet, id honorabilius exiſtimandum, ſicuti occaſu ortū. In ſeculo Principium fine. In uita generationē corruptione. At deos quidem ſemideis præferēdos. Hominibus aūt heroas. Parentes uero hominibus cæteris. Legibus opem ferendam. Verecundiā, & pietatem colendam. Fugiendā carnis ſuperfluam pinguedinem. Exercendam memoriā. Obiit, ut alii uolunt inedia. ut uero alii, occiſus eſt a Crotoniatis ſuſpitione affectatæ tyrānydis. Alii alia de obitu illius tradidere, nam uaria eſt opinio, dum annum ageret ætatis octogeſimum. Quidam nonageſimum aiunt. Pythagoreorum autem multæ ſectæ. Sed ii omnes ab Ionicis differebant, quod ſymbolis præcepta dabant, & enigmatum uice magis innuebant, q̄ explicabant dogmata, Inter quos alii triennio, ut Origenes ſcribit, Alii quinquēnio tacebāt. Minus biennio, ut Gellius aſſerit, nemo. Pythagoræ Thelauges filius ſucceſſit, qui ſecundum quoſdam Empedoclis præceptor fuit, & Theleuges nihil ſcripſiſſe fertur. Cui Xenophanes ſucceſſit, qui a Pythagoricis defeciſſe creditus eſt Parmeniſco, & Oreſtade, ut Fauorinus ſcribit. Hic ad multam ætatē uixit. Nam de ſe ipſe ſcriptum reliquit, ſe annos ſeptē, ac ſexaginta peregrinatum eſſe, cum annorum. xxv. eſſet, quando primum ex patria diſceſſit. Claruit ſexageſima fere olympiade. Filios propriis ſepeliuit manibus, quod & Anaxagorā feciſſe legimus. Hic aiebat, quattuor eſſe omniū rerum elementa, infinitoſq; mundos, neq; uariab[illegible]s. Primuſq; dixit, omne, quod fiat, corruptioni eē obnoxiū, ac dei ſubſtantiā eſſe rotundam, atq; globoſam,

nihilq;

nihilq; cũ hominibus habere cõmune.totũ cernere, totũq; audire.Non tñ reſpirare, ſimulq; eſſe omnia, mentẽ, prudẽtiam, æternitatem.Hic ſucceſſorẽ habuit Parmenidẽ Eleatem, qui eius auditor fuerat, quiq; philoſophiam eſſe duplicem dixit, Alteram Secũdũ ueritatẽ. Secundũ opinionem alteram.Primus hic terram dixit globoſam, atq; rotũdam in medio ſitam.Duo elementa ignẽ, ac humidũ. Hoc opificis, illud materiæ ordinem tenere.Generationẽ hominum ex ſole primum ortam.Solem ipſum calidũ eſſe, ac frigidũ ex quibus conſtant omnia.Animam, & mentem idẽ eſſe. Hinc Plato nobile illud opus περὶ ἀρχῶν ideſt de principiis, ſiue de Idæis ſcripſit. Floruit olympiade ſexageſima nona.Sũt, qui uelint hũc fuiſſe primum, qui Luciferum, & Heſperum eandẽ eſſe ſtellam deprehẽderit, quod eſſe Pythagoræ inuentũ ſupra diximus.Parmenidi Zeno itẽ Eleates, quẽ Apollodorus Pyretis filium dixit. At Parmenides Teleutagoræ quidem natura.Pyretis autem adoptione filium.Inuentorẽ hunc dialecticæ ſcribit Ariſtoteles, ut Empedoclem rhetoricæ.Hic cũ in Nearchũ, ſiue ut alii malũt, in Diomedontem tyrannũ coniuraſſet, captus, cum ſocios cõiurationis manifeſtare iuberetur, amicos omneis tyranno, ut præcipuo illum auxilio priuaret, ſuſpectos reddidit. Item fingens uelle ſe neſcio quid in aurẽ dicere, naſum illi morſu amputauit. Deniq;, cũ ſocios cõiuratiõis fateri cogeret, abſciſſam ſibimet dẽtib⁹ linguã in faciẽ tyrãni expuit. Quo facto ciues, quos ille prius oratione ſua concitauerat, tyrannum lapidibus interfecerũt. Sed alii multi Zenones fuere.Hic quoq; plureis mundos eſſe dixit, uacuumq; non eſſe. Naturam omniũ rerũ ex calido & frigido, ex humido, & ſicco manaſſe, cũ iſta in alterutrũ cõmutẽtur, generationemq; hominũ ex terra eſſe. Zenoni ſucceſſor fuit Leucippus Eleates, uel ſecũdũ quoſdam Abderites.Alii quoq; mileſiũ dixere.Hic Zenonis auditor fuit, cui placebat infinita eſſe omnia, & in ſe ipſa commutari, omneq; iſtud inane eſſe plerunq; corporibus in hoc inane incidentibus, & inuicem implicitis, atq; ex motu ſecundũ illorũ incrementũ naturam ſyderũ fieri. Terram uehi, ac circa mediũ uerti, for-

mamq; illius tympano ſimilem eſſe. Primus hic atomos principia ſubiecit. Húc ſequitur Democritus Hegeſiſtrati, ſiue Athenocriti, ſiue Damaſippi filius. Abderiten alii, alii Mileſium dicunt. Huius meminit in primo hiſtoriarũ Herodotus. Magos, & Chaldæos quoſdam audiuit, a quibus aſtrologiã edoctus eſt, cum puer adhuc eſſet. In Aegyptũ uenit, ut Geometriam diſceret. Poſt in Perſidem, ut diuinarum rerum cognitioné aſſequeretur. Duobus fratribus ſui partem patrimonii diuiſit portiunculam ſibi reſeruans, quod eſſet uiaticum. Demum Athenas ſe contulit, & gloriæ cõtemptu noluit agnoſci. Cognouit Socratem, ſed ab eo cognitus non eſt. Reuerſus in patriã in ſumma egeſtate uixit ſuſtentatus a fratre in horto extra urbem, ubi ſoli rerum naturæ uacabat. Vbi uero quædam prædixit futura, & ſequens rerum euentus fidem prædictionibus fecit, dignus iam diuinis honoribus iudicatus eſt. Cum uero lege cautum eſſet, ut, qui patrimoniũ conſumpſiſſet, ſepulchro patrio non inferretur, ne inuidorum, ac detrahentium pateret calumniæ, legiſſe fertur Diacoſmon, quod illius cunctis operibus facile præcellit. Quare non ſolum quingẽtis talẽtis honoratus eſt, ſed etiã æreis imaginibus, uitaq; functus publice ſepultus eſt. Timon hũc ita laudat, ut cæteris præferat, & auide legendũ moneat. Paruũ etiã diacoſmon compoſuit, in quo ait, ſe iuuené fuiſſe, quo tempore iam ſenior uiuebat Anaxagoras illo natu minor annis XL. Cum annum ageret centeſimũ, ac nonũ uita exceſſit. Hic quoq; principia reꝝ atomos, ac inane arbitratus eſt. Infinitos eſſe mũdos generationi, & corruptioni obnoxios. Atomos preterea magnitudine, ac numeroſitate eſſe iſinitos, ferriq; in hoc toto, ac rotari, atq; ita cõcretiones omnes gignere igné aquam, aera, terram. (Quippe & hæc ex atomis quibuſdã conſtare, eſſeq; paſſioni, & mutationi obi firmitatem, & ſoliditaté minime obnoxia. Alia q̃plurima prætereo, quæ ad illius dogmata pertinent, quæ nimis longum eſſet receſere. Hunc Diophãtes Syracuſanus quanq̃ Pythagoricus ſectatus eſt corpuſcula rerum eſſe indiuiſibilia dicens, quæ poſtea Epicurus, qui quinta poſt Democritũ generatione natus

Digitized by Google

ne natus ē τὰ ἄτομα dixit, cũ prius ἀδιαίρετα κὶ ναστὰ tã ille, q̃ Metrodorus Chius nuncupaſſet. Stultitiam, ac uanitatem hominũ Democritus perpetuo pene riſu perſequebatur. Propter quod Iuuenalis in decima ſatyra dixit.

Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat.
Democritus & cauſam ſubdit.
Ridebat curas, necnon, & gaudia uulgi
Interdum & lachrymas, cum fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumq; oſtenderet unguem.

Quare cũ mentecaptũ ciues illũ ſui crederēt, Hippocratē medicũ illa ætate inſignē, qui eũ curaret, accerſiuerũt, quē ubi allocutus eſt, cognita illius altiſſima ſapiētia plenus admirationis ab eo receſſit. Hoc ipſe ī ſuis epiſtolis teſtat̃ Hippocrates. Demũ ſe ipm̃ excæcauit, ut naturæ arcana altius & expeditius perſcrutaret̃. author Cice. libro tuſcul. quæſt. quinto, & noctiũ atticarũ decimo Gellius. Alii ſucceſſere q̃ plurimi, quos nimis lõgũ foret cõmemorare. Sed ex iis præcipui fuere Nauſiphanes, ac Nacyades, quib⁹ ſucceſſit Epicurus Neoclis, & Chereſtratæ filius Atheniẽſis Nauſiphanis, ut quidam uolũt auditor. Sami educatum tradit Herodotus: ubi Pamphili platonici auditor fuit. Philoſophari cœpit anno ætatis. xiiii. Scholã tenere. xxxii. Qua ætate Mitylenę, ac Lampſaci illã annis quinq; inſtituit. Vnde Athenas migrauit. Verũ ut ætatis illius ordinem ſequamur, Samo Athenas rediit octauo decimo ætatis anno, Quo tempore Xenocrates in Academia, Ariſtoteles Chalcide ſcholã habebãt. Poſt autē obitum Alexandri Macedonum regis, cũ ſub Perdica res Athenienſiũ afflictas cerneret, Colophonē ſe ad patrē cõtulit. Ibiq; aliquãdiu moratus eſt. Sed cõgregatis demũ diſcipulis Athenas iterũ reuerſus eſt, ubi ſectã de ſuo uocatam nomine inſtituit. Dionyſius Halicarnaſeus ſcribit, illum ædiculas circuiſſe cum matre purgamenta legentē, & cũ patre exigua ſtipe literas docuiſſe. Democriti de atomis, & Ariſtippi de uoluptate ſibi libros adſcripſiſſe creditus eſt. Putantur a maleuolis cõficta quædã, quæ libidinoſum fuiſſe illũ arguant, ut quæ ad Themiſtam ſcripſiſſe fertur. Illa ſcilicet. Quotus enim ego ſum, niſi uos ad

me proficiſcamini promptus ipſe quocunq; uos Themiſta acceſatis, irruere. Et ad Philoclem formoſum adoleſcētē, Conſumor, ac deficio, amabilem tuum, ac diuinum ſuſtinens congreſſum. In libro autem de finibus ſic ab illo ſcriptum aiunt. Nihil habeo, quod bonum intelligam, ſi saporum uoluptates, &, quæ ex Venere conſtant, &, quæ auribus percipiuntur, &, quæ ex formæ uenuſtate blandiunt, oculis hiſce auferam. Sunt contra, qui ſcribant, illum fuiſſe cōtinentiſſimū, adeo, ut Diocles ſcribat, uiliſſimis fuiſſe cōtentū cibis. Teſtatur ipſe in quadam epiſtola ſolum panem ſibi eſſe cibum, & aquam potum. Rogat aūt amicum, ad quem ſcribit dicens. Mitte mihi parum caſei, ut, cū uolūero cœnare precioſius, poſſim. Huiuſmodi fuit illius uita, qui uoluptatem ſummū bonū putauit. Sed qui humanius, ac uerius de Epicuro ſenſerunt, nō de uoluptate illum dixiſſe aiūt, quæ luxurioſorū eſt, uerū de illa, quæ eſt bene habere, & malis carere, quam uocant indolentiam, ideſt animo tranquillum uiuere. Summa fuit præterea in parentes pietate, in fratres beneficentia, in ſeruos mãſuetudine, ſicut & ex illius teſtamentis liquet, & quod una philoſophati ſunt. Ex qbus fuit pręcipuus ille, cui Mus nomē. In cæteros deinde humanitate eximia. Annorū ſeptuaginta duorū obiit morbo calculi quattuordecim cruciatus dies. In hunc Italica, ut diximus philoſophia deſiit. Ex tanto autem philoſophorum numero uariæ cōſtitutæ ſunt ſectæ, quarū etiā diuerſa fuere nomina, de quibus nunc ſuo ordine dicemus, Nam petitionis tuæ, niſi fallor, ſumma hæc fuit. Sed prius, unde illarū nomina deducta ſint aperiam. Sectæ igitur uel a ciuitatibus, ideſt ab illorum patria, qui principes earum, & inſtitutores fuere, ut Cyrenaici ab Ariſtippo Cyreneo, Megarenſes ab Euclide Megarenſi. Quanq̄ Cicero libro academicorū ſecūdo authorem Megarenſium innuat Xenophontem, cum tñ pauloposſt ab Euclide dictos fateatur. Aut a locis, in quibus illarum principes philoſophati ſunt, ut academici de Platonis uilla, in qua morabatur. & Stoici a porticu, de qua diximus. Aut ab actu corporis, ac motu, ut Peripatetici, qui ambulantes philoſophati ſolebant, nā

περιπατέω apud græcos eſt deambulo. Alii Ethici a mori bus, nã ἤθος græce mos dicitur. Alii a naturalibus rebus, quas ueſtigabant, Phyſici, nam φύσισ apud græcos natura dicitur. Non nulli a præceptoribus, ut Socratici. Platonici. Pythagorei. Alii aliunde, quorum omniũ nomina perſequi & nimis longum foret, & minime neceſſe eſt. Nũc ſectarum nomina cum earum inſtitutoribus ſubnectã. Academia uetus, nam in multas, uti oſtendam ſecta hæc diuiſa eſt, authorem, ac inſtitutorem habet Platonẽ. Arceſilaũ Media. Noua, ut alii uolunt Lacydem, ut aliis placet, Carneadem. In quarta floruere Philon, & Carmides. Quintæ principia referũt ad Antiochum. Fuit & ægyptia, cuius inſtitutor dicitur Ammonius. Alia item Romana, ſiue Italica in qua Plotinus claruit. Lycia quoq;, cuius authorẽ memorant Proclum. Peripateticæ ſectæ princeps Ariſtoteles. Sed & ſecta hæc in plura quaſi membra diuiſa eſt, Nã poſt Theophraſtum, & Neleũ, fere unuſquiſq; ſectæ illius proprium ſibi nomen cõſtituere conatus eſt, donec in multas parteis diuulſa redintegrari ab Alexandro Aphrodiſeo cæpit, qui magni in ea nominis, & authoritatis extitit. Stoicæ Zeno Cittiæus. Epicurus Epicureæ. Cyrenaicę Ariſtippus Cyreneus, Qui diſcipulus a Socrate deſciuit, & q ſummũ bonum in uoluptate poſuit, ea maxime, quæ ſenſum mouet, quiq; primus dicitur mercede philoſophiam docuiſſe. Heliacæ Phædon Helienſis. Megaricæ Euclides. Cynicæ Antiſthenes Atheniẽſis, uel, ut alii uolunt, Diogenes. Quæ ſecta a nimia detrahendi, ac mordẽdi licentia nomen ſortita eſt. Nã Cynici quaſi canes appellati. Eretricæ Menedemus Eretrienſis, quã Cicero ait a Zenone, Parmenide, & Xenophane nominatam. mox tamẽ a Menedemo, qui Eretrius, fuit, dictam in qua ſimilis error, & ambiguitas de authore, ſicut in Megaricis extitit. Ephectici dicti quaſi ambigui, ac dubitabundi, quod ii dubiam haberent ueritatẽ, nec ulli rei præberent aſſenſum. Sed hi & Pyrrhonii authore Gellio dicti a Pyrrhone eius ſectæ inſtitutore. Quãq; nõ deſunt, qui non authorem Pyrrhonem, ſed amplificatorẽ malint. Quod autem tot, ac tam uariæ fuerint philoſopho

rum ſectæ, fecit opinionũ mira inter ſe diuerſitas, & diligẽs indagatrix ueri humana ſolertia, amorq́ꝫ, ac ſtudiũ incredibile ſapientiæ, cui dum excellentia uacant ingenia, &, uel aſſecuti ſunt, quod uolebant, uel ſe aſſecutos arbitrati ſunt, ſuis gaudentes inuentis, ac certo iudicio diu obſirmatis innitẽtes opinionibus tantã familiarum diuerſitatẽ in amœniſſimos, ac fœcundiſſimos philoſophiæ campos inuexerunt. In quibus illi præcipue excelluiſſe dicẽdi ſunt, qui utiliſſima uitæ præcepta tradidere. Sed nullũ quidem ſtudiũ philoſophiæ ſtudio anteponẽdũ eſt, quæ quãti faciẽda ſit, ex his, quæ ſubiiciam, Plutarchi uerbis coniice, ait enim. Quamobrem aliarũ artium, & ſciẽtiarum uti principẽ cõſtituere philoſophiã oportebit. Ac corporis quidem curam duplicẽ ſcientiam humana excogitauit induſtria, medicinam dico, atq́ꝫ gymnaſticam, quarũ altera ſanitatẽ, altera bonam importat habitudinem. Animorum autem ægritudines, atq́ꝫ langores ſola eſt, quæ curet, ac medeatur philoſophia. Per hanc enim, & cum hac ſcire licet, quid honeſtũ quid turpe, quid iuſtũ, quid iniuſtum, & ſummatim, quid diligendum, quid fugiendũ. Quomodo parentibus, quomodo natu grandioribus, quomodo peregrinis, magiſtratibus, amicis, uxoribus, ac ſeruis utendũ ſit. Vtq́ꝫ deos ueneremur, parẽtes honoremus, ſeniores uereamur. legibus obtemperemus, magiſtratibus cedendũ ſit, amicos diligere oporteat. In mulieres ſeruare modeſtiam, charos habere liberos, minime ſeruire cũ ſeruis, &, quod maximũ ẽ, in proſperis fortunæ ſucceſſibus nõ offendi, nec in aduerſis caſibus triſtitia deprimi, nec omnino uolupratibus eẽ deditos. Nec ita per iracũdiã affici, nt belluarũ animos induamus. Quæ ex omnibus philoſophiæ bonis antiquiſſima iudico. Generoſi enim uiri ſecundã ferre fortunam officiũ eſt. Sine inuidia uero, hominis bene inſtituti. Voluptates ratione ſuperare ſapiẽtis. Iracundiam uincere, nõ uilis profecto, aut abiecti ẽ uiri. Cæterũ eos perfectos opinor eſſe homines, qui ciuiles cũ philoſophia poteſtates queant immiſcere. Hos ſibi gemina uendicare bona reor, ut ſcilicet eorũ uita & ad cõmunẽ omnium utilitatẽ in Repu. duceret, &

summa

ſumma cũ tranquillitate nullis obiecta fluctibus per ſapiẽtiæ ſtudia uerſaret. Et quando nobis tantus iam ſermo de philoſophia proceſſit, nõ ingratũ tibi, aut iniucũdũ fore exiſtimo, ſi quędam adhuc dixero, quibus amplitudo illius, & claritas magis eluceſcat, & animus ad illã tuus uehementius accendatur, ut, quod tu iſtius ætatis, & uariis uel amicorum, uel rei tuæ familiaris occupationibus diſtrictus fortaſſe efficere non poteris, in Alphonſo filio præclaræ indolis, ac ſpei adoleſcentulo dulci diſcipulo, & admodũ ſuauialumno meo efficias, quem futurũ Elephantutiæ tam nobili familiæ magnum ſplendorem non multo poſt uideo. Ad quod ut nõ mea ſolum, ſed etiam grauiſſimi ſcriptoris ſententia, & ſalubri conſilio te moneri intelligas, iterũ audi loquentem de hac ipſa re Plutarchum. Ingenuis igiẽ adoleſcẽtibus nihil uel auditu, uel aſpectu debet omitti, immo nec is, qui orbis diſciplinarum appellatur. Verũ hæc perinde, ac guſtus gratia uel in tranſcurſu perdiſcẽda ſunt. Fieri aũt nequit, ut in cunctis perfectionẽ aſſequanẽ. Antiquiorẽ autẽ, primariãq; philoſophiam eſſe ducant. Qua in re mea coram ex ſimilitudine quadam conſtituẽda ſententia. Nã ſicuti complureis nauigãdo urbes obire perpulchrũ eſt, ita in preſtantiſſima domicilium habere cõmodiſſimum, ac precioſiſſimũ. Quibus ſane uerbis uir ſapientiſſimus oſtẽdit. Alia quidem ſtudia nõ eſſe omnino contemnenda, aut prorſus ignoranda, ſed præcipuũ in iis, ac ſtabiliorẽ tenere locum debere philoſophiã. Sed grauius adhuc, quod Ciceronis eſt, teſtimonium audi, qui libro officiorũ ſecũdo philoſophię ſtudiũ merita efferẽs laude inquit. Quid eſt enim per deos optabilius ſapiẽtia? Quid homini melius? Quid homine dignius? Hanc qui experunt igitur, philoſophi nominantur. Nec quicq̃ aliud eſt philoſophia, ſi interpretari uelis, q̃ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem eſt, ut a ueteribus philoſophis definitum eſt, rerũ diuinarũ, & humanarũ, cauſarũq;, quibus hæ res cõtinenẽ, ſciẽtia. Cuius ſtudiũ q̃ uituperat, haud ſane intelligo, quid laudãdũ putet. Nã ſiue oblectatio quęriẽ animi, quieſq; curarũ, quæ conferri cum eaꝝ ſtudiis põt? qui ſemper aliquid acquirũt, quod ſpectet,

& ualeat ad bene, beateq͂ uiuendum? Siue ratio conſtantiæ uirtutiſq͂ quæritur, aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequimur. Tota aũt philoſophia in quinq͂ parteis diuiſa eſt. In ethicam. Dialecticam. Mathematicã. Phyſicam, & Metaphyſicã. Ethica, ſicut ipſum nomẽ indicat, moralis dicit̃, quoniam de moribus tractat, qui ad bene inſtituẽdam pertinent uitam, quam philoſophiæ partẽ Socrates maxime illuſtrauit, qui eam e cœlo, ut ante oſtendimus, in terras euocauit, & in urbes, ac domos inuexit, & de qua præclarum extat Ariſtotelis opus, quod decem uoluminibus abſoluit, in treis diuiſum partes, quarum prima hominem inſtruit moribus, ut ſe ipſum regere diſcat, quæ proprie Ethica uocatur. Secunda patriſſamilias præcepta & inſtitutionem continet, quæ ob id œconomica ideſt diſpenſatrix dicitur. Sed in hac præter Ariſtotelẽ, Theophraſtus claruit, & Xenophon, cuius œconomicos libros Cicero in latinum ſermonem tranſtulit. Tertia ciuem, qualem in Repu. uerſari oporteat, monet, quæ ob eam cauſam politica ideſt ciuilis nuncupatur. Hæc enim docet, qualẽ eſſe Reipu. adminiſtrationem deceat. De qua re diuinum etiã Platonis opus, ac Ciceronis extat. Dialectica diſputatrix latine dici poteſt, Nã, de græco uerbo, quod eſt διαλέγομαι ideſt diſputo, deducitur uel ſermocinatrix, quæ diſputãdo uerum perquirit, & falſum, quæq͂ apud Martianum de ſe ipſa loquens ſui prorſus eſſe iuris inquit, quicquid cæteræ artes proloquuntur. Sequitur Mathematica, quæ diſciplinabilis interpretari poteſt, quia diſciplinas complectitur, Geometria, quæ quia præcipue dimenſiones terræ continet, & tractat, ſic appellata eſt, in qua, ſicut inſigne illius opus indicat, Euclides claruit. In hac etiã Geographi excelluere Strabo Tyberii principatu. Ptolomæus Traiani, & Antonini temporibus, & ex noſtris Plinius. Pomponius. Solinus. Arithmetica, quæ Numeraria poteſt appellari, de numeris loquitur, a pythagoricis plurimũ celebrata. Muſica, quæ uocum, proportiones, & qualitates, & canendi rationem complexa eſt, quam inueniſſe Pythagoran, & Ariſtoxenum abſoluiſſe memorant. Aſtrologia, quę aſtrorum

curſus

Digitized by Google

curſus,& ſuperiorũ reuolutionem ſphærarũ cõtinet,& effe ctus demonſtrat. Phyſica eſt, quæ de natura rerum tractat, unde naturalis poteſt latine dici. In qua ſola philoſophi om nes uſq; ad Archelaũ Socratis prçceptorẽ uerſati ſunt. Me taphyſica ſupernaturalis poteſt interpretari, quæ ea, quæ ſunt incorporea,& ſempiterna ueſtigat, atq; perquirit. In hanc priſci quidã philoſophi, ut Theophraſtus. Plato etiã, & Ariſtoteles ſtudium contulere.& Ariſtotelis quidẽ extãt de metaphyſica libri. Sed aſſequi, quod uolebant, nequi uere,& ad metam nõ peruenerunt. Solis ea chriſtianis pa tuit, ac perluſtrata eſt. Cæteris non itidem, qui naturali tan tum facultate, ac ingenio prçditi lumine cœlitus infuſo car uerunt. Quo demum chriſtianis immiſſo tota poſteris ma teria luculenter explicata eſt, ut nihil intactũ, nihil indiſcuſ ſum nobis ſublimia reliquerint ingenia. Quanta eſt igitur philoſophiæ claritas,& excellentia? quæ terræ ambitũ, ma ris ſpatia, cœli meatus, penitiſſima quæq; naturæ arcana perſcrutata, atq; complexa ad æterni luminis, ad ipſius dei ſolium penetrauit? Hæc eſt uitæ fideliſſima dux,& comes. Hoc lumen eſt, quod omnes mẽtis tenebras diſcutit. Quæ p re ctam ſemitam ad uerũ,& ſummũ bonũ perducit. Hæc de niq; digna eſt, cui uelut ſacris penetralibus, immo tanq̃ cœ leſti numini omnẽ reuerẽtiã,& cultũ exhibeamus. Hãc tu mi Gaſpar, qua æquũ ẽ, ueneratione ad te ueniẽtẽ ſuſcipe, ac nõ ſolũ in tuas ædeis illã tibi recipiẽdã, ſed etiã in iis col locandã, ac retinendã puta. Et quãdo monẽte, uti iam oſtẽ dimus Plutarcho ingenui adoleſcentes antiquiorem illam cæteris, ac primariã ducere debẽt, ex hoc ipſo die dignam ſtatue, quam Alphonſo filio omnium uirtutum nutricem, ac fideliſſimam ducem pares.

FINIS.

Impreſſus Bononiæ per Hieronymum de Benedictis Bi bliopolam Bononienſem. VII. Cal. Febr. M D X X I I I I.

Digitized by Google

Digitized by Google

IO. AN. FLAMINIVS. R. P. PVCCIO PISTORIENSI EPISCOPO. S. D.

Ram nudiuſtertius. R. Præſul in cœtu familiarium
e quorũdã, ubi de ſtultitia hominũ ſermo inter nos or-
tus eſt. Ibiq; indignabamur, tantã ineſſe mortalibus
uecordiã, ut uix ullus ampli⁹ uirtuti locus relinqueret. Nec
alia ſane de cauſa id accideret, q̃ quod pauci admodũ ſapiẽ
tiæ ſtudio tenerent. Dixi ego, nõ eſſe mirandũ, ſi tam male
nobiſcum ageret, & omnia quotidie deteriora fierẽt, ac in
peius laberent, quia pleriq; ſpreta ratione ſolũ ducẽ appe-
titũ ſequerent, & quocũq; ille impelleret, agerent, ac pro-
pterea debere nemini mirum uideri, ſi tam pauci homines
ampliſſimas etiã ciuitates incolerẽt, & tanq̃ uaſtã in iis ſo-
litudinẽ ſapiẽtiores deprehẽderẽt. Dum hæc dicerẽ, inter-
uenit ex hac nobilitate quidã, cuius nomen honoris gratia
mihi reticendũ cenſeo, qui nõ ſatis æquo tuliſſe animo ui-
ſus eſt, quæ de paucitate hominũ, deq; urbiũ clariſſimarũ
ſolitudine dixerã. Eſt aũt is tum natura, tum genere, ac opi
bus plus æquo inſolens, ac mordax, & præter modũ arro-
gans, & quod inſolentiorẽ illum facit, nõ prorſus literarum
expers, a quo ſi diſſentias, ut eſt ad irã pronus, & ad iurgia,
te ſtatim maledictis inceſſit, nulli parens niſi quẽ parẽ opi-
bus, aut ſuperiorẽ norit. Ait igitur. Quãtũ uideo, Vos ex eo
genere hominũ eſtis, qui præ ſe cæteros cõtemptui habẽt,
ac nihili ducũt, tanq̃ uobis cõueniat ſolis homines haberi,
ac ſapientiæ magiſtros dici. Ego quoq;, ſicut ſcitis, nõ pror-
ſus literarũ ignarus ſum, & quid diſtẽt æra lupinis, quidq;
de hac re cenſeri ſit æquum noſſe uideor. Tum ego, ſi pla-
cet, inquam, ut citra bilem, & iurgia colloquamur, libenter
quidem intereſſe te noſtro huic ſermoni patiemur. Si ea,
inquit, a uobis dicẽtur, quæ ferẽda ſint, facilem me ad au-
diẽdum, & patientem experiemini. Sed ferre nõ poſſum,
quãdo ex ueſtro ordine quoſdam ita loquẽtes audio, ut &
cæteros tanq̃ fæcem quãdã hominũ ludibrio habeãt, & ſe
ſolos ſapere uideri uelint. Tunc ego, Ne quæſo tã male de
nobis ſentias. Nã ſiquãdo uulgi uidemur ſentẽtias explode

re,nō ea de cauſa,quā tu reris facimus,odio uidelicet quo-
dam adducti,atq; contemptu imperitorū, Sed ſtudio ueri,
quod nos æquū eſt contra imperitæ multitudinis opinio-
nes,& inſcitiam tueri.Quod ſi non fiat, creſcant quotidie
magis errores,nec docti ab indoctis diſcernantur. At ille,
Nunquam,inquit,uinces,neque mihi perſuadebis,eſſe in
ampliſſimis urbibus,ubi tot hominū cohabitant millia,eā,
quam aſſeris ſolitudinem.Tunc ego, Non Flaminius qui-
dem,ſed ratio, qua nihil eſt ualidius, peruincet,modo illā
uelis patienter admittere,ac non illos imitari, qui adeo in
ſuo ſenſu pertinaces ſunt,ut,quāuis poſtmodū per conten
tionem,quod rectū,ac uerum eſt,uideant,id tamen fateri
nolint,&,ubi ſe urgeri,ac uinci ſentiāt,ad clamorem ſe,ac
iurgia cōuertāt.Nō talis,inquit,ego ſum. Nec eſſe quépiā
putes,qui rationibus,modo ueræ ſint,facilius cedat,atq; li
bentius.Age,inquit,oſtende iſtam,quam dicis,urbium ſo
litudinē,& expetire,an perſuadere mihi poſſis, urbē quoq;
hanc florentiſſimā,& populoſiſſimam paucis hominibus
inhabitari,& uiceris.Vbi paratum uideo ad audiēdum,ita
exordior.Primum ex te illud quæro,ut mihi relatu, & tibi
cognitu faciliora ſint reliqua,quid tu eſſe hominē cenſeas,
Statim inquit uulgatum illud, Homo eſt animal rationale
mortale.Recte inquā. Ceterum hoc quoq; reſponde,quid
tu priorem in hac diffinitione tenere locum arbitrere. Ra-
tionem,ait,Rectiſſime hoc etiam,nec iam amplius dubito
futurum,quin concordi ſententia hinc diſcedamus.Videa
mus ergo,quinam uere dici homines debeant. Fatebere
proculdubio,ni fallor,in qbus ratio uigeat. Quibus abſit,
nequaquā eos dici homines conuenire. Statim ſenſit ille,
quorſum hæc tenderent,& ait,Video,quo me redigas,&
quo me,ne poſſim elabi cōcludas.Stemus inquam pacto,
& patienter,ſi uera dixero,audi reliqua.Perge,inquit.Age
igitur,Volo nunc uideamus,quinam ii ſint,quos nō opor-
teat homines dici. Quod ubi diligenter inſpexerimus,fa-
cile, ut puto, conſtabit, quam exiguus in multis etiam
millibus ſit hominum numerus. Primum dicam quid ſit
ratio,quando ſola eſt,quæ hominem oſtendit, & ne mihi
forte parum credas,authore diuo utar Auguſtino,qui ait,

Digitized by Google

Ratio eſt mẽtis motio ad ea, quæ diſcutiunť, diſtinguẽda,
& cõnectẽda potens. At Seneca Quid eſt, inquit, ratio, niſi
naturæ intentio? Sequiŕ ratio naturã, & bonũ ſine ratione
nullum eſt, & uirtus nõ aliud, q̃ recta ratio. Eſt ergo ratio,
ut ego quoꝗ quod ſentio, dicam, Dux quædam uitæ, quæ
humanis actionibus quaſi lumen præfert, & uiã qua gradi
ad rectũ oporteat, nobis oſtendit. Hanc igiŕ quandiu ſequi
mur, homines ſumus. Ne aũt ſequamur oẽs, facit aduerſa-
rius præpotẽs, & hoſtis acerrimus, & aſſiduus, qui ſe ſe illi
opponit, appetitus, & quod dixi, lumen plerũꝗ extinguit.
Quod ubi fit, Nimirũ ad brutorũ uitam redigimur, & eſſe
homines deſinimus. Nam brutorũ quidẽ eſt, appetitũ ſe-
qui, & illo, quocunꝗ aguntur, agi. Quid ergo reſtat, niſi ut
belluam dicas, qui plus nihil habet, q̃ bellua? Nam ſi ſola
ratio facit, ut a cæteris homo diſtet animãtibus, ea ſublata
non ſolũ belluas uincit, ſed ab illis multis in rebus, ſi diligẽ
ter aduertas, uinciŕ, & multo deterior eſt. Nã ſi uitæ lõgitu
dinẽ reſpicis, quãto multis aĩalibus inferior ẽ? Olfatu aũt &
uiſu, itẽ auditu nõ minus pleriſꝗ cedit. Agilitate corporis,
ac robore ita ſuperaŕ, ut, cũ rẽ diligẽtius cõſidero, tãtæ im-
becillitatis noſtræ quidã me pudor capiat. Sed nolo, quæ
notiſſima ſunt, lõgiore pſequi oratione. Si igiŕ ſola ratio ẽ,
quæ rectũ docet, quæ ad rectũ uocat, iã tu per te ipſum ui-
dere potes, ac iudicare, quot ſint in hac urbe, quot itẽ in cæ
teris, qui eã ſequanŕ optimã ducẽ, & rectũ amplectantur.
Cogita, num ſit ratio, quæ ad oĩa libidinũ genera homines
rapit, ac illis immergit. Quæ ſuadeat auaritiã, & inexplebi
lem habẽdi cupiditatẽ, Nec nõ ambitionẽ. Item ſuperbiã
doceat malorũ omniũ uberẽ materiã. Quę ad iras, & odia.
Ad bella, & urbiũ euerſiones, quod iã toties nr̃a hæc ætas
uidit, & experta eſt, impellat. Quæ deniꝗ, ut oĩa comple-
ctar, deorũ metũ, & cultũ pene omnẽ ſuſtulerit, & tanq̃ nul
la ſit, præter hãc, uira, religionẽ extinxerit. Cogita, quid ſce
lerũ, quid flagitiorũ ſit reliquũ, & an nouis pateat amplius
locus. Horũ omniũ malorũ cauſa eſt appetitus, qui longe,
lateꝗ imperat, & quo nunc ſolo fere mortales aguntŕ, quia
uicta, & fugata ſic ratio eſt, ut probũ quẽpiã uix in multis ẽt
millibus inuenias. Quẽ tu nunc facile bonũ patriæ ciuem

dicere audeas? Fidelem tibi amicum putes,quẽ tuto con-
ſulas? Cui arcanũ pectoris credas? Quis nunc tam fidus in
aduerſis,q̃ in proſperis comes ſit? Qui ſic uiuũt,eos tu ho-
mines,ac nõ uerius mõſtra hominũ dicas? Qua tu alia de
cauſa finxiſſe ſapiẽteis illos uiros,poetas dico ueteres,arbi
traris,hoĩes in uarias ferarũ formas cõuerti ſolitos? q̃ quod
pulſa ratione ad ferinos mores proculdubio redigerentur?
Qua tu ratione fabulatos eẽ illos credis, Vlyſſis ſocios Cir
ces poculis alios urſos,alios lupos,leones alios eſſe factos,
niſi ut oſtenderent,corruptis moribus uideri in feras hoĩes
demutari? & amiſſa ratione nõ dignos eſſe hoĩes dici? Pu-
to,me tibi iã planũ feciſſe,quod initio ſum pollicitus,ac ſa-
tis oſtẽdiſſe,quandã eſſe uaſtã in magnis etiã urbibus,ſi bo
norũ paucitatẽ oſtẽdimus,ſolitudinẽ,quã eſſe tantã quidẽ
uideo,ut horreat animus,cũ cogito,tãtã eſſe factã ubiq; uir
tutũ iacturã,ac me pene pudeat,quod in tãta hominũ pau
citate uiuã. Vbi finẽ feci,tacuit aliquãdiu defixis in terram
oculis bonus ille uir,ut pmotus oratione tali uideret. Quẽ
iterũ blãde allocutus percũctatus ſum,quid demũ ſentiret,
& an ſatis adhuc pſuaſus eſſet,incredibilẽ eſſe hoĩum infre
quẽtiã,& paucitatẽ,Fateor,inquit,me rationibus uictũ,&
cogi,ut credã,uera eſſe,quæ dixeris,&,tanq̃ ex dẽſis emer
ſerim tenebris,lucẽ intueri.Fateor ignorantiam,& ingenii
mei tarditatẽ,qui nũc primũ hæc cernã,cui nunq̃ antea in
mentẽ uenerit,quinã iure dici hoĩes deberẽt.Sed ero impo
ſterũ cautior,ac operã dabo,ut aliã uiuẽdi rationẽ ineã di-
uerſam ſcilicet a uulgi,& imperitæ multitudinis opinioni-
bus,ne me quoq; a cœtu hominũ arceatis,& brutoꝝ gre-
gibus adnumere is. His dictis abiit. Præbuit hæc mihi res
ſcribẽdi materiã,quã uides nec inſulſam prorſus,nec illepi
dã,addo ẽt Põtifice nõ indignã,ac te cõtinuo de tota re cer
tiorem facere uolui,de qua non dubitaui,te non medio-
crem uoluptatem eſſe capturũ. Tuũ eſt idẽ erga me face-
re,ac ſiqd habes ſimile de hoĩum ſtultitia,aut qđ quoquo
modo ad uitã,moreſq; ptineat)nullã enim utiliorẽ,aut hoĩe
digniorẽ materiã puto)id ad me pſcribere.Ita qdẽ mutuis
epiſtolis pſcrutabimur ea,quæ nos efficere quotidie melio
res queãt.& ĩ illa,quã dixi,hoĩum paucitate cõtinere.Vale

5854095

Digitized by Google

Digitized by Google